E. 24 b 9

H. Winther.

DE THUCYDIDE
SCRIPTORE BELLI PELOPONNESIACI.

SPECIMEN

SCRIPSIT ET

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM

AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM VRATISLAVIENSI

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XXVI. IANUARII A. MDCCCXXXVIIII

PUBLICE DEFENDET

HENRICUS WUTTKE

BREGENSIS.

ADVERSARIORUM PARTFS SUSCEPERUNT:

AUG. MOOSBACH.
AD. ROESLER.
ROB. SASKE.

VRATISLAVIAE,

TYPIS M. FRIEDLAENDERI.

Historiam contemplantes videmus diversam viam aliquando et nunc esse intratam ab iis, qui ut vera a falsis secernerent operam dederunt. Etenim quum olim viri docti discrepantibus de aliqua re narrationibus simpliciter iuxta se positis ex numero auctorum se certiores fieri de rebus dubiis arbitrati sint, nostra aetas ex gravitate fontium quid verum sit explorare nititur, sequens potissimum praeclari poetae dictum:

Man muss die Stimmen wägen, und nicht zählen.

Itaque fontes non adeundi solum sed diligenter explorandi atque examinandi sunt. Nova igitur exorta nunc est quaestio eaque gravissima de fontibus ipsis. Hoc fundamentum est, ad quod referenda sit omnis rerum gestarum cognitio; haec ratio sola, qua illud, quod Henricus Cornelius Agrippa ab Nettesheym de incertitudine et vanitate historiae olim scripsit, possit refutari. Cui quidem ne desit officio, qui in rebus gestis perscrutandis elaborare velit!

Iam qui in Graecas res recte cognoscendas operam conferat, eius temporis, de quo primo aliquid certo compertum habemus, tribus potissimum utetur auctoribus summis Herodoto, Thucydide, Xenophonte. Reliqui rerum gestarum auctores, si illis antiquiores aut aequales fuerunt, deperditi sunt; si posteriores exstitere, velut Diodorus,

Strabo, Plutarchus, Pausanias, referendi sunt ad suos quisque fontes, de quibus tamen, quoniam maxima ex parte tantum quaedam eorum fragmenta nobis supersunt, fere nihil sciri potest.

Atque ex tribus illis scriptoribus, quós modo nominavimus, maximus mihi visus est Thucydides. Apud Herodotum enim res fabulosas legis multas, ut eius narratio magna ex parte ea magis contineat, quae peregrinator observaverit et tradita ab iis, quibuscum colloqueretur quam historiam ipsam[1]). Xenophon vero, quum Thucydide multo inferior sit ingenio, tum propter studia Spartanorum acriter est vituperandus: in quo scriptore militare magis ingenium est perspicuum, quam rerum civilium scientia. Nihil autem eorum, quae illis vitio vertimus in Thucydidem cadit. Ita mihi inquirenti in Thucydidem non opus est excusatione. Est autem quaestio tripartita.

Primum enim critica ratione adhibita tractandum est id, quod Thucydides de rebus graecis tradit. Itaque in medium nobis proferendum est quid de eius fide scriptores ipsi graeci senserint, atque accuratissime inquirendum in eas illius narrationes, quibus dicitur integram in iudicando fidem laesisse[2]). Nec non conferenda denique omnis

---

1) Non habeo, quod de Herodoto praeclarius dictum proferam quam Dahlmanni illud: „Das vermissen wir an ihm, dass er selten fragt, was menschenmöglich sei, dass seine Einsichten in die Gesetze der Natur und ebenfalls seine politischen sehr mittelmässig waren.“ „Ueberhaupt mehr Anschauer der Begebenheit als Erklärer, fühlt er, scheint es, keinen Beruf in politische Verkettungen und die Verhältnisse, welche der Staaten Bestand und Untergang bedingen, forschend einzugehen.“ Forschungen auf dem Gebiete der Geschichte V. I. P. I. p. 175. 176.

2) Veluti traditur scripsisse de demagogis graecis animo non ab omni partium studio alieno. Notum est, in quantum de Pericle iudicans discrepet a Platone. De qua quidem re olim

belli expositio Thucydidis est cum eo, quod de peloponnesiaco tradunt reliqui scriptores [3]).

Sed res antiquas non ex eo solum quod scriptores nobis narrant penitus cognoscimus, sed vel maxime etiam ex ratione rerum tractandarum scriptori cuique propria. Omnes enim homines suae instar aetatis sunt, e qua nimirum pendent, quaecunque ipsi cogitant. Alter igitur disputationis locus est de Thucydidis ingenio in rebus humanis divinisque tractandis et iudicandis conspicuo [4]). In quo diligenter est indagandum segregandumque quod Thucydidi proprium fuerit et quod ex universo Graecorum ingenio atque indole ipse duxerit. Quae disputatio praecedat disquisitionem de rebus a Thucydide traditis necesse est, quoniam rerum narratarum fidem propter Thucydidis ingenium nuper aliquis in dubium vocavit.

Gottleber, nuper Groen van Prinsterer, Solko Walle Tromp, Kayssler, Ogienski disputaverunt.

3) De aetate, quae proxime antecessit bello, Thucydidem cum ceteris auctoribus comparans disseruit Krüger. in: historisch-philologische Studien 1837. De chronologia scripserunt imprimis G. Acacius Enenckel Baro Hoheneck, Dodwell. et Clinton.

4) Thucydidis γνώμας ἠθικὰς καὶ πολιτικάς collectas protulit Ducker. in Thucydide suo a. 1731 edito. Deinceps disseruerunt de hac quaestione:

J. G. A. Heinicke, Anthropologica Thucydidis maximam partem Psychologica. Rastenburgi. 1834. 4. Praestitis plura ille vir doctus promisit.

Fr. Kortüm, Thukydides Ansichten über das Wesen der Menschennatur, des Staates und der Religion, (in libro, qui inscribitur: Zur Geschichte hellenischer Staatsverfassungen. Heidelberg. 1821. p. 187 — 204.) et — Die Stellung des Geschichtschreibers Thukydides zu den Parteien Griechenlands. Bern 1833.

Wigand, über das religiöse Princip in der geschichtlichen Darstellung des Thukydides. Berlin 1829.

Krüger. denique promisit se operis Thukydidei ingenium adumbraturum (Leben des Thuk. p. 40.).

Postremo dicatur de vita Thucydidis: profecto enim ea studio nobis esse debet, quum rerum scriptor, qui nobis auctor et fons est, nisi cognita ipsius vita, quae indolem scripti perscrutanti lucem adferat, non possit recte aestimari. Ab eo exordiri maxime volui.

§. 1.

In vitam Thucydidis enucleandam multi viri docti inquisiverunt. Inter quos sufficit nominavisse Henr. Dodwellium, Fabricium, Bredovium, Popponem, Daunouum, Krügerum, Goellerum, qui omnes (prout viri sunt summa doctrina ornati) testimoniis veterum scriptorum omnibus collectis fontes diligenter examinaverunt. Tamen scriptor huiusce disquisitionis intellexit se interdum non posse acquiescere in eo, quod de Thucydidis vita vulgo traditur; quapropter denuo quaestionem de vita Thucydidis aggressus est, non nova expromendi studio ductus (non enim iactat nova et inaudita) sed ut exquireret, quid ex multis et variis, quae de Thucydidis vita traduntur, fide quam maxime servata statuendum esset.

Ac primum quidem nihil antiquius duxi, quam de fontibus pauca disserere.

Locupletissimus testis de vita sua ipse est Thucydides. Exponendum mihi hoc loco est, non quid de sese dixerit, sed quomodo de suis rebus loquutus sit, ut intelligatur falsum esse quod nuper non nemo contendit, Thucydidem conatum esse probare se in bello peloponnesiaco partes honestissimas secutum [1]). Neque enim Thucydides

---

[1]) Ogienski in libro, qui inscribitur Pericles et Plato p. 67.

se iactandi studio commotus res suas exposuit, sed pauca de sese narrationi de bello peloponnesiaco inseruit, ut fidem narrationis quam maxime probaret atque luculenter demonstraret se recte cernere potuisse ea, quae descripsisset. Quam ob causam tradit se statim ineunte bello ad res accuratissime cognoscendas animum attendisse (I, 1.) et ob exsilium, quo vitam degit, Peloponnesiorum aeque atque Atheniensium conditionem et casus observare potuisse (V, 26.). In quo studio se nullo modo impeditum fuisse diserte et graviter asserit. Narrat praeterea se pestilentia correptum fuisse (II. 48.) ut omnibus, qui posthac descriptionem morbi lecturi essent, certo persuasum esset, illi descriptioni ut verae integram fidem habendam esse. Ita vita sua explicata narrationis fidem augere voluit. Quid in bello egisset, parcus sermonis de se, non commemoravit: semel tantum, quum rebus bellicis implicatus imperator in periculo gravissimo exstitisset, illud periculum enarrans suarum rerum mentionem fecit (IV, 104. seq.), brevitatis in illa quoque narratione studiosior, adeo ut ne id quidem narraverit, quod ipse post Eïonem reservatam ageret. Alias vero plane de se reticuit.

Pauca praeterea de Thucydidis vita et rebus gestis nota sunt, quae non possint subdubitari: quae est communis veterum scriptorum sors. Hi enim viri, qui r e b u s g e s t i s excellunt, dum in mediis rebus versantur, gloriam acquirentes omnium oculos convertunt in se: quo efficitur, ut permultis, qui aut aequales aut aetate proximi sunt, illorum vita curae atque studio sit. Et illi, qui facta aliorum s c r i p s e r e, laudantur, sed tarde, multoque serius, quam scripsere, scripta pernotescunt. Itaque plerumque accidit, ut quando scriptoris nomen inclaresceret, ipse ex vita iam excessisset. Tum, nisi fortuito aliter evenit, scriptoris vita oblivione premebatur. Quod quidem potissimum fuerit, cur scriptores initio librorum de se nonnulla verba face-

rent: qui usus nunc exolevit. Iam haec, quae ipsi de vita sua scriptores tradiderunt, pro certo comperta habemus, cetera fere ambigua sunt, quum qui, celebribus demum factis scriptorum libris, de iis accurate scribere studerent, saepissime exquirendi copia carerent. Jam quae Thucydidis nomini tam magnam gloriam conciliavit descriptio belli peloponnesiaci, mortuo demum Thucydide edita divulgataque esse perhibetur, nec frequenter legebatur quum propter dicendi genus interdum subobscurum non nisi ab hominibus eruditis intelligeretur. Quod quominus multa de nostro servarentur haud dubie prohibuit.

Scriptores graeci, qui post Thucydidem vixerunt, in libris suis componendis utebantur quidem historia illius, sed de eius vita aut nihil, quod memoria dignum esset, narraverunt, aut si qui aliquid narraverint, ii nobis sunt deperditi. Alexandrinorum demum aetate maiore diligentia Thucydides dignus videbatur. At et eo tempore tantum perpauca de nostro fuerunt pervulgata. Hoc enim inde colligimus, quod Dionysius Halicarnassensis de eius vita fere tacet. Qui rhetor nimio Herodoti Halicarnassensis studio captus ac Thucydidem auctoritate Herodotum et ceteros omnes historicos longe superare videns, ut de eius laude multum detraheret atque admirationi et imitationi Thucydidis obstreperet, duabus dissertationibus operam dedit, quarum altera ad Quintum Aelium Tuberonem scripta est *περὶ τοῦ Θουκυδίδου χαρακτῆρος*, altera ad Ammaeum *περὶ τῶν Θουκυδίδου ἰδιωμάτων*. Multa etiam in illius epistolae quam Cneio Pompeio misit capite tertio in Thucydidem disseruit. Quibus Dionysius libris consilium et orationem Thucydidis per singulas partes acutula atque nimis acri investigatione perstringens, maligaum et a vulgari opinione dissentiens iudicium tulit, rem quidem suam non sine acumine instituens, at infesto animo e iniquius quam fas est: puerilia enim fere sunt, quae ei

vitio vertit. Jam Dionysius occasione oblata eius vitam exponendi, duobus vel tribus locis exceptis[2]), nusquam utitur: qui si quid de Thucydidis vita compertum habuisset, id vix silentio praetermisisset: garrulus enim est et rhetor. Atque de Thucydide eum non bene fuisse instructum inde quoque elucet, quod in illa epistola, quae est scripta ad Cneium Pompeium p. 771. c. III. et in iudicio de eo c. X. XII. XIX. propterea scriptorem nostrum increpat, quod narrationem non perduxisset usque ad restitutam a Thrasybulo Atheniensibus libertatem. Ea autem, quae in iudicio de Thucydide c. VI. refert, ex Thucydidis ipsius libris sumpta esse, facile quisque videt. Ex iis etiam acceperat Thucydidem usque ad belli finem vixisse (cfr. epist. ad Pompeium p. 771.).

Postero tamen tempore plures exstitere, qui in cognoscenda vita Thucydidis operas suas collocaverunt. Res sane tum difficilis, namque multa oblivione iam premebatur. Liceat hic quaedam disserere de causis, quibus effectum sit, ut ea quae de Thucydidis vita accepimus vera mixta falsis vel prorsus insulsa contineant.

Primum quidem, quum plures exstitissent Thucydides, eodem nomine interdum decepti sunt scriptores. Commemorantur enim Thucydides poeta, Acherdusius Aristonis filius, Thucydides Atheniensis Melesiae filius et Thucydides Pharsalius Menonis, publicus civitatis Atheniensium hospes. Imprimis vero ille Thucydides Alopecensis Melesiae filius clarus fuit, qui adversatus est in regenda re publica Atheniensium Pericli, Atheniensis ipse et aequalis nostro scriptori. Unde factum est, ut haud raro utriusque Thucydidis fata factaque permutarentur, ita ut, quae illi accidissent, de Thucydide historico traderentur. Velut (ut proferamus exempla, quae probent id quod diximus

2) Vide nostri l. §. 6.

legimus Thucydidem historicum orationum habendarum periculum fecisse primum causam dicentem pro Pyrolampe quodam a Pericle accusato. Quod perscrutantes falsum esse nec de nostro valere invenimus. Hoc enim probant inter alia ea verba, quae in fine narrationis de vita Thucydidis ab ignoto scriptore composita §. 6. leguntur: *ὅθεν καὶ στρατηγὸν αὐτὸν ἑλομένων Ἀθηναίων ἄρχων προέστη τοῦ δήμου.* Vide etiam Solko Walle Trompii librum de Pericle eiusque civitatis Atheniensium administratione, Lugdun. Batavorum 1837. p. 18. annot. Eodem pertinet, quod traditur Thucydides ostracismo expulsus esse. Ostracismum enim locum non habuisse in causis proditae patriae iam monuit Dodwell. in Annalibus Thucydideis et Xenophonteis Oxonii 1702. 4. p. 24., quae res tamen decepit Viscontium adhuc in Iconographie Grecque, Milan. 1824. I. p. 518. Itaque nobis quoque cavendum, ne erremus in re, de qua sit falli facile [3]), praesertim quum et ipsi veteres in hos errores inciderint. Quemadmodum etiam id, quod Flavius Philostratus Lemnius maior, qui Romae floruit, in vita Gorgiae §. 1. p. 422. dicit, non est de nostro Thucydide accipiendum. Nam ille Gorgiam Athenis permagnae admirationi fuisse narrat *καὶ τοὺς ἐλλογιμωτάτους ἀνηρτήσατο, Κριτίαν μὲν καὶ Ἀλκιβιάδην νέω ὄντε, Θουκυδίδην δὲ καὶ Περικλέα ἤδη γηράσκοντας.* Ubi cave credas nostrum historicum, quem nonnulli [4]) scriptores intellexerunt, quod non esset verisimile Thucydidem oratotorem eodem atque adversarium usum esse magistro. Quorum sententiam eo magis miramur, quia scriptum est *ἤδη*

---

3) Ex recentioribus scriptoribus, qui Thucydides illos commutaverunt, liceat unum nominare Cl. Bodinum, qui in quarto libro eorum, quos de Republica scripsit, (c. I. Ed. 6ta. Francof. p. 604.) nostrum scriptorem Pericli adversatum esse existimavit.

4) Velut Goeller. in Thuc. suo iter. ed. V. I. p. 10.

γηράσκοντας: quae sane verba satis demonstrant Flavii illum locum de oratore isto valere.

Nimio insuper studio coniungendi vitae cursum illustrissimorum virorum ducti scriptores rerum fidem pervertunt, confundunt multa et suo Marte fingunt. Itaque fit, ut Thucydides cum Herodoto confundi nonnunquam videatur, itemque legamus nostrum commercio quodam attigisse Herodotum et Xenophontem: quod est valde ambiguum. De quibus suo loco agemus[5]).

Quibus ex rebus breviter disputatis intelligi potest, quaenam fuerint causae cur depravaretur id, quod de historico Thucydide narratur. Nunc ad fontes ipsos censendos revertamur.

Restant enim enarrationes quaedam vitae graeco sermone, quae videntur compositae eo tempore, quo Scholiastae floruerunt isti studiosi de omnibus rebus memorabilibus colligendi ea, quae a scriptoribus prioris aevi conservata essent. Maxima harum enarrationum Marcellino cuidam auctori tribuitur. Inscribitur quidem *Μαρ-*

---

5) Illustrare haec, quae disputavimus, liceat exemplis quibusdam allatis: est hic enim locus sane lubricus. Quippe notissimum est res, quae ad diversos illos poetas, quibus Choerili nomen fuit, spectent saepe esse confusas. Pariter atque historici Thucydides et Herodotus confunduntur, gubernatores Atheniensium permixti sunt, ut a veteri interprete Aristophanis Vesparum, qui v. 941. de Thucydide Alopecensi ait: *ὅτι πρὸς Ἀρταξέρξην ἧκε φεύγων σαφὲς ποιεῖ Ἰδομενεύς — οἱ μέντοι Ἀθηναῖοι αὐτοῦ καὶ γένους ἀειφυγίαν κατέγνωσαν προδιδόντος τὴν Ἑλλάδα καὶ αὐτοῦ ἡ οὐσία ἐδημεύθη*: quum enim Thucydides Alopecensis ostracismo ex patria expulsus esset, illa sententia solummodo in Themistoclem cadit, quem propter proditionis suspicionem in exsilium sempiternum non sine quadam crudelitatis specie eiectum ad Persas confugisse constat. Sic sunt, qui contendant Heracliden Ponticum in iis, quae de

κελλίνου περὶ τοῦ Θουκυδίδου βίου καὶ τῆς ἰδέας αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὅλης ξυγγραφῆς παρεκβολή [6]. Quam dissertationem viri docti operis cuiusdam longioris fragmentum esse putant, quo scriptor vitas excellentium quorundam oratorum et historicorum complexus esset: hancque opinionem iuvat libri exordium, ex quo Marcellinus disquisitionem aliquam de Demosthene videtur antea absolvisse. Destinatus fuit hic liber (si recte sentio) in usum hominum, qui artem oratoriam propositis exemplis penitus cognoscere studerent [7]. Thucydidis quidem vitam aiunt pluribus partibus constare. Primus [8] hoc animadvertit et copiose demonstravit scriptor quidam in ephemeridibus Hagensibus, qui librum a tribus scriptoribus compositum esse existimavit, secernens partes has: §. 1 — 45, §. 46—55, §. 56. 57; cum hoc consensit Grauertus in observationibus criticis ad Marcellini vitam Thucydidis, qui tamen partis primae finem esse voluit §. 44. Poppo in Prolegomenis ad Thu-

---

cura in exornanda urbe Athenis posita narraret, errore Ephialten pro Cimone nominavisse. At haec quidem res accuratiori disputatione eget.

6) Praemissa legitur editioni Thucydidis principi Aldinae. Codex manu exaratus exstat in bibliotheca regis Francogallorum cod. n. MCCCCXI., alius codex in bibliotheca Marquardi Guidii olim fuit secundum Fabricii Bibliothecam Graecam edit. Harles. V. II. p. 721. Collatus nuper est novus codex, Palatinus. Liber corruptus emendatu est difficilis. Videtur enim correctus a vetere grammatico: confer Grauertum in Museo Rhenano a. 1827. p. 179. Typis expressa est haec Marcellini dissertatio in plerisque Thucydidis editionibus, velut Baueri, Bekkeri, Popponis, Arnoldi, Goelleri, Gervini.

7) §. 1. *Τῶν Δημοσθένους μύστας γεγενημένους θείων λόγων τε καὶ ἀγώνων συμβουλευτικῶν τε καὶ δικανικῶν νοημάτων μεστοὺς γενομένους καὶ ἱκανῶς ἐμφορηθέντας — ὥρα λοιπὸν καὶ τῶν Θουκυδίδου τελετῶν ἐντὸς καταστῆναι.*

8) Journal litteraire à la Haye. 1714. V. IV. p. 429—433.

cydidem P. I. p. 21. in quatuor partes distribuendam contendit hasce: §. 1—34., §. 35—45., §. 46—54. sive 55., et inde §. 55. s. 56. usque ad finem. Attamen rectius dixeris illam scriptionem duabus tantum partibus constare, quarum altera §. 1 — 45. continet, altera §. 46. verbis *ἰστέον δέ* incipit. Nam scriptor prioris partis, quem Marcellinum appellamus, quum primum de genere ac vita Thucydidis (§. 2—34.) disseruisset, hac indagata ad librorum indolem censendam §. 35. accessit, sic ut ipse dixerat §. 1.: *ἀναγκαῖον δὲ πρῶτον εἰπεῖν τοῦ ἀνδρὸς καὶ τὸ γένος καὶ τὸν βίον· πρὸ γὰρ τῶν λόγων ταῦτα ἐξεταστέον τοῖς φρονοῦσι καλῶς.* His igitur verbis Marcellinus diserte affirmat se post vitam exquisitam de alia adhuc re acturum esse, quocirca ea quae §. 35—45. leguntur Marcellino auctori sunt tribuenda. Atque ut hoc ipse non affirmasset: num credamus rhetorem de vita sola librum composuisse? Partem posteriorem quae incipit §. 35. eiusdem indolis esse atque priorem bene observavit Grauert., qui tamen in eo erravit, quod §. 44. disquisitionem novam exordiri voluit. Nam verba quae in fine nostrae disquisitionis leguntur §. 45.: *ἀπέθανε δέ* (Thucydides) *μετὰ τὸν πόλεμον τὸν Πελοποννησιακὸν ἐν τῇ Θράκῃ, συγγράφων τὰ πράγματα τοῦ εἰκοστοῦ καὶ πρώτου ἐνιαυτοῦ* scriptor eo consilio addidit, ut scirent omnes Thucydidem, quamvis belli historiam non perduxisset ad eius exitum, tamen illius superstitem fuisse, neve temere crederetur ab iis, qui leviter libros legissent, Thucydidem propterea, quod medio bello ex vita excessisset historiam absolvere non potuisse. Neque priori Marcellinus narratione indicaverat Thucydidem longius vixisse, quam bellum gestum esset. Ergo haec quoque Marcellino est adscribenda particula.

Nova de Thucydide §. 46. verbis *ἰστέον δέ* incipit disputatio, cuius scriptor est nothus Marcellinus sive

Pseudo - Marcellinus. Continet haec observationes animadversionesque, quales[9]) fortasse aliquis, qui codicem vitae a Marcellino compositae possidebat, pro occasione sine ordine et consilio illi adscripserit. Postmodum vero falsi huius Marcellini dicta cum dictis veri Marcellini in unum corpus coniuncta legebantur, duaeque scriptiones pro una habebantur. Diversum quidem a priore hunc alterum libellum esse multis rationibus confirmari potest, ex quibus duae vel inter maximas referendae hae sunt, quod statim initio §. 46. de Thucydidis ira in Cleonem adversaria repetuntur §. 26. commemoratis et quod plura iterum et brevius quidem narrantur iam antea exposita, verbi causa §. 46. de expeditione Thracia, §. 55. de morte et sepulchro.

Novam de hac vita opinionem mecum communicavit C. Fr. Bellmann, vir de Aeschylo meritissimus, qui eam, quum in omnibus codicibus ut unius auctoris scriptio legatur, in plures diversorum scriptorum partes non dividendam sed propter inscriptionem παρεκβολὴ ἀπὸ τῆς ὅλης ξυγγραφῆς delectum quendam esse censet ex opere maiore quodam rhetorico nobis deperdito, dubitat an Aelii Aristidis, cuius quaedam infra apparebit dictionis similitudo. Cui ita coniectanti rationes quaedam videntur aliqua ex parte obstare. Primum enim opus illud rhetoricum fuisse permagnum necesse est, si quidem vita Thucydidis, quae nobis restat, quaedam pars tantum maioris dissertationis de claris quibusdam scriptoribus fuit. Deinde mirum cum, qui opus istud contraxisset, res quae non spectarent ad Thucydidem excerpsisse atque tam fuse disseruisse de eius genere atque de Miltiadis rebus gestis. Tum unde factum esset, ut multas res noster bis excerperet, easque

9) Consentire me video cum Grauerto in Museo Rhenano a. 1827. p. 773.

quae sibi repugnarent? Id enim non intelligo, quomodo idem scriptor possit dicere Thucydidem exponentem res gestas Cleonis hunc invidià persecutum esse et de eo sine ira scripsisse. Denique haud scio num epitomes scriptor rem suam tam accurate instituisset, ut non solum auctores eius, cuius librum in breve coegit, sed ipsos quoque testes auctorum illorum[10]) commemoraret.

Sed contra haec argumenta quae proposuimus nonnulla moneri possunt, quae eorum vim fere infringant. Dicit enim Bellman. et librum illum, quo usus sit Marcellinus, praeter vitae Thucydidis narrationem multa continuisse et Marcellinum propositum suum non arctis finibus circumscripsisse. Itaque negat mirum esse, quod a Marcellino eadem res bis narretur et diversa quidem ratione. Etenim quae auctor Marcellini varium ob finem bis attulisset, ea, veluti discrepantes virorum doctorum opiniones, Marcellinum, inconsideratum virum, excerpsisse neglectis iis e quibus pependissent. Neque vero negat Marcellinum forsan pluribus libris esse usum, nullam tamen adhibuisse curam, ut excerpta in unum coniungeret: similiter ac Thucydideam vitam Marcellini Robortelli Aeschyleam esse compositam. Qui si ita dicit; non video quid ei adversetur. Firmatur enim haec sententia titulo quo liber inscriptus est, etsi fortasse licet suspicari *παρεκβαλεῖν* latius patuisse, ita ut eandem complecteretur vim quam apud recentiores scriptores vocabula „synopsis, epitome, compendium", quibus illi etiam libri, qui non contrahunt opus maius sed ipsi sunt fontes, inscribuntur, ut Leonardi Pappi, Simonis Schardii: quamquam non est diffitendum vel sic aliquid difficultatis in verbis *ἀπὸ τῆς ὅλης ξυγγραφῆς* restare. Utut est, librum hunc unus scriptor non composuit nisi insipiens, qui plures secutus est fon-

10) Cfr. §. 3. 32.

tes, quorum primo usus videtur usque ad §. 46., sicuti diximus. Quae quum ita sint, vita illa Thucydidis in duas partes est distribuenda, sive plures scriptores postea coniuncti eam composuerunt, sive unus, qui auctores duos epitomavit, de quibus singulatim dicendum.

Ac de Marcellino quidem (sive auctore prioris partis) si quaeris quis fuerit et quando scripserit, omnibus hac in re auctorum testimoniis caremus. Gesnerus quidem opinatus est fuisse eundem atque illum Ammianum Marcellinum, qui fine seculi quarti res Caesarum gestas, quae litteris consignandae a C. Cornelio Tacito relictae erant, latino sermone conscripsit. Fuit enim Ammianus natione graecus et multis in locis imitatus est Thucydidem. At eum vitam Thucydidis scripsisse inde levius coniicitur. Vossius Marcellinum eundem esse arbitratur, cuius in Hermogenem de Statibus exstant commentarii. Verum num is sit, probari non potest. Marcellinum nostrum non fuisse Atheniensem docent verba §. 31.: *οἱ μέν — καὶ φέρουσι μαρτύριον τοῦ μὴ κεῖσθαι τὸ σῶμα ἐπὶ τῆς Ἀττικῆς· Ἴκριον γὰρ ἐπὶ τοῦ τάφου κεῖσθαι, τοῦ κενοταφίου δὲ τοῦτο γνώρισμα εἶναι ἐπιχώριον καὶ νόμιμον Ἀττικὸν κ. τ. λ.*, quia si ipse Athenis ortus fuisset, vix aliorum iudicium de tali instituto laudavisset. Cui sententiae non repugnat §. 21.: *εἰκὸς δὲ ἦν Ἀθηναίους πρὸς τὸ χρήσιμον ἀπαγγέλλοντας τὸ ἑαυτῶν ψεύδεσθαι καὶ λέγειν πολλάκις ὡς ἡμεῖς ἐνικήσαμεν οὐ νικήσαντες*, quae verba oratione directa enunciata accipienda sunt, ut Atheniensium Thucydidis hospitum ipsae voces intelligantur.

Krügerus [11]) Marcellinum post Aelium Aristidem (sive

---

11) Untersuchungen über das Leben des Thucydides. Berlin 1832. 4. p. 8. ann. 3.

post annum 190. p. Chr. n.) scripsisse et hunc imitatum esse propterea putat, quod apud utrumque idem fere de Thucydide iudicium inveniatur. Quae enim ille *ὑπὲρ τῶν τεττάρων* p. 200. diceret: *τοὺς μὲν οὖν ἄλλους ἅπαντας παραλείψω πολλοὺς ἂν ἔχων εἰπεῖν, ἕνα δὲ ἀρκοῦντα παρέξομαι Θουκυδίδην τὸν Ὀλόρου, ὃς οὐ μόνον τῇ τῶν λόγων δυνάμει καὶ σεμνότητι ἀλλὰ καὶ τῇ τῶν πραγμάτων ἀκριβείᾳ πλεῖστον προέχειν τῶν συγγραφέων δοκεῖ·* ea Marcellino exordium scribenti in animo versata esse contendit; rectene autem v. d. disputaverit an secus, de eo fortasse disputari potest. Certe hanc sententiam possit Aelius Aristides duxisse a Marcellino, qui, quod Aelius tradidit Thucydidem et Periclem eadem usos esse disciplina, non refert, cuius igitur librum non cognoverit. Nec vero alienum est fuisse locum communem, quem plures pariter usurparent: nam Thucydides non solum 1, 22. de studio suo *τῆς ἀκριβείας* disserit, sed saepe affirmat se id sibi proposuisse, ut quam maxime *ἀκριβές* narraret. Haec igitur *ἀκριβεία* quam imprimis appositam esse omnes sentirent, de Thucydide paullatim sententia vulgaris facta est. Etenim in plerisque rebus iudicandis accidit, ut de iisdem eaedem prorsus dictiones ab ipsis pluribus viris doctis et sermone quotidiano et scriptis repetantur: quod fit negligentia rem investigandi atque desidiâ animi. Sic nostro quoque tempore est. Malunt enim permulti in pervulgata et usu trita sententia, si modo apta videatur, requiescere, quam ipsi ex suo iudicio aliquid dicere; quippe abest periculum, ne corrigantur. Sic de laude *ἀκριβείας* summo iure Thucydidi tributa actum esse arbitror. Sed utut est id quod de imitatione Aelii Aristidis memoratum est, sententia, qua Marcellinus incipit disquisitionem eadem illa legitur apud Suidam in narratione de Thucydide:

Marcellinus §. 1.: *πολὺς γὰρ ἀνὴρ τέχναις καὶ κάλλει*

λόγων καὶ ἀκριβείᾳ πραγμάτων καὶ στρατηγίαις καὶ συμβουλίαις καὶ πανηγυρικαῖς ὑποθέσεσιν·

Suidas: *οὗτος ὁ Θουκυδίδης ἀνὴρ ἦν πολὺς ταῖς τέχναις, κάλλει λόγων καὶ συμβουλίαις καὶ πανηγυρικαῖς ὑποθέσεσιν.* Quae Suidas, quum et saeculo undecimo tandem viveret et v. *ἀπήλαυσε* et *ἀπολαύνειν* mentionem Marcellini cuiusdam faceret, videtur descripsisse ex Marcellino.

Jam quod ad auctoritatem Marcellini attinet, non sine magna doctrinae copia et (ubi iudicat) eleganti sermone scripsit, ornatum tamen simplicitate neglecta saepius quaesivit [12]. Cognita habet scripta Homeri (§. 35. 37.), Pindari (§. 35.), Aeschyli (§. 5.), Herodoti (§. 27. 38.), Xenophontis (§. 36.), Timaei (§. 27.), Philisti (§. 27.), Platonis (§. 41.), Demosthenis (§. 1.) [13], et in exquirenda vita Thucydidis hisce utitur fontibus:

1) Herodotum initio sequitur disserens de genere Thucydidis: cfr. §. 12.

2) Hellanicum, *ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ Ἀσωπίδι.* §. 4. eandem rem explorans;

3) Androtionem *ἐν τῇ Ἀτθίδι* §. 28.;

4) Antyllum §. 22 et 56, ubi ille commemoravit Prodicum Ceum et Gorgiam Leontinum;

5) Cratippum §. 33.;

---

12) Ludit verbis §. 23. *ἀρχέκακον ἀρχὴν παραλαβών.*

13) Aliquando tamen nescius videtur rerum sat pervulgatarum, si quidem §. 17. recte legatur: *ἔνθα* (Athenis) *δείκνυται Ἡροδότου καὶ Θουκυδίδου τάφος.* Nam quum paulo post asseveraret: *ξένος γὰρ οὐδεὶς ἐκεῖ θάπτεται* Herodotum Halicarnassensem non potuit nominare, nisi nesciret a qua urbe ille originem duxerit. Quapropter Coraes pro Herodoto Heroden emendari voluit. Fortasse autem Athenis exstabat Herodoti *κενοτάφιον* coniunctum cum Thucydidis sepulchro.

6) Demetrium *ἐν τοῖς ἄρχουσιν* §. 32.

7) Didymum §. 16. et 3. (ubi ex Pherecydis historiarum L. I.) et §. 32. (ubi ex Zopyro scripsisse affirmat);

8) Hermippum §. 18.

9) Philochorum §. 32.

10) Polemonem §. 17. et 28. *ἐν τῇ περὶ ἀκροπόλεως.*

11) Praxiphanem §. 32.

12) Timaeum §. 25. 33.

Cognitum porro fuit Marcellino sepulchrum Thucydidis et epitaphium.

Fontes rerum suarum Marcellinus religiose nominat; eos quoque scriptores, quos in fontibus laudatos invenit, commemorat (§. 3. 32.), atque de indole tantum et praestantia historiae Thucydidis suo utitur iudicio.

Fusius narravisse videtur breviusve secundum fontes, quos habuit; resque, quas ex iis protulit, memoriter, recitavit, quod ex ratione, qua in disquisitione de Miltiadis et Thucydidis origine instituta, Herodoto (libr. VI.) utitur, colligi licet.

Perpauca testibus non nominatis narrat, quae tamen tradita sibi essent ab aliis scriptoribus, indicavit verbis §. 14. *φασίν, νομίζουσι, δοκεῖ οὖν τισιν·* §. 31. *οἱ μὲν οὖν λέγουσι — καὶ φέρουσι μαρτύριον·* §. 33. *καὶ ἄλλοι·* §. 34. *λέγεται·* §. 41. *τινές·* §. 42. *ἄλλοι·* §. 43. *λέγουσι δέ τινες — ἀλλ' οἱ μέν φασιν·* §. 44. *τισὶ δέ κ. τ. λ.*

Ceterum ea, quae ex auctoribus sibi notis desumpserat, ut compilata reddidit, nihil curans, quae discreparent, inter se conciliare; nam etsi totus in fontibus est, tamen in iis diiudicandis ars eius critica debilis atque levis est. Namque desideratur in eo subtilitas investigandi. Hoc autem sic est iudicandum, Marcellinum ex eo, quod verisi-

mile esse existimavit, sine acri rei investigatione sententiam tulisse, velut §. 12. εἴγε μὴ Ἡρόδοτος ψεύδεται, §. 25. μὴ γὰρ δὴ πειθώμεθα Τιμαίῳ et de eodem auctore §. 33. μὴ καὶ σφόδρα καταγέλαστον ᾖ κ. τ. λ. Copiose vero argumentatur quaestionem solvens, utrum filia Thucydidis librum octavum conscripserit, nec ne.

Est igitur Marcellini auctoritas, si ipse iudicat et rem aliquam narrat, non magni momenti aestimanda; sed suo nomine, nisi quae auctorum consensu confirmata sunt, velut id quod §. 23. continet, nihil fere tradit, quapropter §. 19. ei maior fides habenda est, quam quae plerumque ei datur. Marcellini liber permultum propterea valet, quod scriptor, quae de Thucydide tradebantur, ex multis fontibus iisque nobis deperditis collegit: qua de re non sine gravi causa ab eo recedere debemus, nec coniecturas sequi, quae sunt plerumque vanae. Neque enim ipse Marcellinus nobis auctor est, sed antiquiores scriptores, quibus ille est usus.

Secundam nostrae scriptionis partem, quae est a §. 46 — 57. ab uno tantum scriptore, quem falsum — Marcellinum vocavi, compositam esse dixi. Incipit enim vocabulis ἰστέον δέ, quae locutio §. 57. iterum adhibetur: quamquam per totum hunc libellum videtur sermonis color sibi constare. Ex sententiarum autem nexu nihil licet de integritate colligi: tota enim dissertatio, quamvis scriptor quodammodo recte de Thucydide iudicet, caret dispositione, ordine exponendi, consilio. Itaque qui propter sententias statuant §. 54, ingredi novam disputationem, severius de nostro falso Marcellino videntur iudicare. Narrationis fere haec est summa: §. 48. seq. ubi et quomodo Thucydides historiam composuerit, atque de eius studio veri indagandi reiectis fabulis subtiliter disputatur; §. 50. seq. de oratione et descriptionibus; §. 54. 55.

de tempore quo Thucydides vixerit, atque de morte; §. 56. brevi quaedam repetuntur de argumento et indole historiae Thucydideae; §. 57. de distributione historiae in libros facta pauca adduntur. Interdum rem confudisse videtur, bene tamen Thucydidem contra Dionysii iniustas, ne dicam malignas criminationes defendit.

Est, quod ad fidem attinet, falsi-Marcellini liber multo inferior quam Marcellini veri, qui et si res indicatas et si fontes, quos secutus est, spectas, est praestantior. Quamquam enim Herodoti scripta (§. 49. 51.) non ignorat, nec Dionysium Halicarnassensem (§. 55.), Demosthenem (§. 56.), Asclepium veterem interpretem Thucydidis (§. 57), fortasse Gorgiam quoque Leontinum (§. 51.), tamen in omni de vita Thucydidis quaestione paucis tantum auctoribus videtur usus esse (§. 55.). Antyllum unum attulit. Alios §. 46. 34. 55. indicavit quidem, sed non nominavit. Veri Marcellini dissertationem eum legisse et quae ille tradiderat in rem suam convertisse equidem puto [14]), praesertim si posteriorem partem respicio. Cfr. imprimis §. 53. et §. 42. ubi vetus Marcellinus ait: τῷ δὲ πανηγυρικῷ διὰ τοῦ ἐπιταφίου, falsus Marcellinus: ἔχει δέ τι καὶ τοῦ πανηγυρικοῦ ἐν οἷς ἐπιταφίους λέγει.

Parvi igitur falsus-Marcellinus, si vitam Thucydidis indagare studes, existimandus est. Res memorabiles, quas non compertas iam ex vero Marcellino haberemus, duas tantummodo novas tradidit, quarum altera §. 54., fulta quo-

---

14) Idem vidit Grauert in observationibus criticis ad Marcellini vitam Thucydidis insertis Museo Rhenano 1827. p. 175. seq. Haud scio an, quae de imitatione Gorgiae §. 51. contendit, ex vero Marcellino hauserit. Cfr. deinde de loco sepulchri, qui (§. 36.) Coele nominatur §. 55. et §. 16. 17. Mirum haud dubie verum Marcellinum ad rem suam enucleandam Antyllo non usum esse, quem tamen nosset.

dammodo verbis *καὶ οἱ μὲν λέγουσι — ἄλλοι δὲ λέγουσι* ad locum, quo Thucydides e vita excesserit, spectat, altera est §. 55. de recitatione Herodoti ista Olympiis instituta ut de re ex rumore accepta: *φαίνεται δὲ ἐπὶ τῶν Ἡροδότου χρόνων γενόμενος — λέγεται δέ τι καὶ τοιοῦτον, ὥς ποτε κ. τ. λ.* Mire verba, quae falsus Marcellinus Herodotum ad Olorum dixisse tradit, cum illis concinunt, quae apud Suidam leguntur. Suidas utpote, qui aetate posterior est, fabulam videtur amplificavisse.

Jam quamquam necessarium, de scriptorum ab utroque Marcellino commemoratorum fide accuratius quaerere, tamen hoc non licet. Nam quum plures scriptores, qui idem nomen tulissent, exstitissent (velut Didymi, Demetrii, Polemones, Philochori), incertum est, quem illorum Marcellinus intellexerit. Neque aetatem nonnullorum (velut Androtionis) ita exquirere possumus, ut amplius de illa non dubitetur. Et ut nosse liceret, fidem tamen et auctoritatem quam habent censere non valeremus, quoniam libri omnium toti deperditi sunt atque ex perpaucis illis fragmentis, quae supersunt, iudicium firmum et certum a religioso arbitro ferri nullo modo possit. Neque fragmenta omnium, quae restant, collecta sunt. Haec de Marcellini libro hactenus. —

Exstat praeter has utriusque Marcellini de Thucydide disputationes tertius libellus incerti scriptoris (sive Anonymi) inscriptus *βίος Θουκυδίδου.* Ignotus ille scriptor ex neutro Marcellino hausit; quae §. 1 — 3. de vita Thucydidis tradit, vulgaria sunt, nec iis, quae aliunde cognita habemus, repugnant.; deinde §. 4 seq. de maligno Thucydidis in Athenienses animo atque de abrupto librorum fine disserit; §. 8 de proemio, §. 9 et 10 de morte. Media narratione §. 6 seq. in errores incidit graves, confundens Thucydidem historicum cum Melesiae filio, quibus

de erroribus hic disputare supervacaneum esse duco, quoniam eos iam supra p. 24. castigavi. Quare Krügerus nostrum appellat „den unzuverlässigsten der unzuverlässigen Biographen.“ Leben des Thukid. p. 47. Ceterum non est, cur ignoto scriptori fidem derogemus, quamquam auctores suos non nominavit. Xenophontis et Theopompi libros cognitos habet.

Suidas in lexico perpauca de Thucydide tradidit, eaque quae, si excipis fabulam de Herodoti ad Olorum sermone, nihil fere, quod memoria dignum sit, contineant; etenim nota sunt, quae de Thucydidis genere protulit. Ipsum Marcellino usum esse iam supra p. 44. significavimus; mirum eum non plura ex illo hausisse.

Scripsit denique brevem de Thucydide notitiam Eudocia imperatrix in libro dictionum historico-mythicarum, qui editus est volumine primo Anecdotorum Graecorum cura d' Anse de Villoisonii Venetiis 1781. 4., ubi inspicias p. 233. Eudocia nihil novi de Thucydide nobis tradidit; imo dicitur ex iisdem fontibus hausisse [15]), ex quibus Suidas, cuius omnino verba illius Eudociae collatione non semel emendari possint.

Haec fere sunt, quae de illis habeo dicere, qui de Thucydide egerunt. Nonnulli insuper scriptores et graeci et latini in libris suis Thucydidis inter alios mentionem fecere rem aliquam de eo afferentes, quos (si quid monendum fuerit) medio cursu narrationis tractandos esse existimavi. De una fortasse Pamphila non ab re erat, hic disputare: sed quum ex illius fide pendeat, quem annum natalem Thucydidis statuamus, aptius mihi visum est §. 3. de ea disserere.

---

15) Vide Villoisonii Anecdota Graeca. V. I. p. X.

Narrationem ipsam Vitae ita institui, ut primum proferrem, quid de Thucydide iure quodam statueretur, deinde testes et argumenta annotationibus subiectis. Quam rationem quamvis ab veterum consuetudine abhorrentem, non mea curans sed lectorum commodum, sequutus sum. Qua adhibita non necessarium erit eum, qui ex meo libello aliquid de Thucydide cognoscere volet, cunctam confirmationis molem pervolvere.

§. 2.

Thucydides, Olori filius et Hegesipylae[1]), Athenis natus est in pago Halimusio[2]) tribus Leontiae. Cum Miltiadis clarissimi illius victoris Marathonii gente arcta propinquitate coniunctus fuit[3]). Maternam originem a regibus Thraciis duxit. Cum Pisistratidis quoque cognatus fuisse fertur[4]). Quod si recte sese habet, paternum fortasse genus ad eos pertinuerit. Quum Miltiades coniux aviae Thucydidis prior fuisse videatur, Cimon fere aequalis dux ille propinquus Thucydidi fuit, quo is stirpem a Cypselo Corinthiorum tyranno et per Cypselum ab Aeacidis duxit. —

Clarum ergo undique Thucydidis genus: quae res veteris orbis terrarum hominibus magnifica et summa visa est.

---

1) cf. Marcellini vita Thucydidis §. 2.

2) Qui *δῆμος* ad oram (inter Phalerum et Colias) situs triginta quinque tantum stadia Athenis abfuit.

3) Marcellini v. Thuc. §. 2. *ᾠκείωτο δὲ ἐκ παλαιοῦ τῷ γένει πρὸς Μιλτιάδην τὸν στρατηγόν.* Cfr. §. 14. Ignotus scriptor vitae Thuc. §. 1. *γέγονε δὲ τῶν Μιλτιάδου συγγενής* cfr. Scholia ad Pindari Nem. II. v. 19. *Δίδυμος δέ φησιν, ὅτι ἴσως ἄμεινον λέγειν, ὅτι εἰς Αἴαντα ἀνέφερε τὸ γένος, ὥσπερ καὶ Μιλτιάδης καὶ Κίμων καὶ Ἀλκιβιάδης καὶ Θουκυδίδης ὁ συγγραφεὺς ὁ Ὀλόρου* (quippe Nepos Aeaci fuit Aiax Telamonius v. Appollodori bibl. myth. III. 12.)

Sed difficilius est dictu, quo modo a Miltiade retulerit genus. Arctam enim propinquitatem inde, quod Miltiades Hegesipylam uxorem duxerit, ortam esse scriptores consentiunt. Ad Olorum igitur regem Thraciae, Hegesipylae patrem descendendum est. Plutarchus in vita Cimonis c. 4.: *Κίμων ὁ Μιλτιάδου μητρὸς ἦν Ἡγησιπύλης, γένος Θρᾴττης θυγατρὸς Ὀλόρου τοῦ βασιλέως, ὡς ἐν τοῖς Ἀρχελάου καὶ Μελανθίου ποιήμασιν εἰς αὐτὸν Κίμωνα γεγραμμένοις ἱστόρηται· Διὸ καὶ Θουκυδίδης ὁ ἱστορικὸς τοῖς περὶ Κίμωνα κατὰ γένος προσήκων Ὀλόρου τε πατρὸς ἦν εἰς τὸν πρόγονον ἀναφέροντος τὴν ὁμωνυμίαν.*

Suidas dicit: (*Θουκυδίδης*) *ἦν ἀπὸ μητρὸς Μιλτιάδου τοῦ στρατηγοῦ τὸ γένος ἕλκων.* Itaque si Suidas recte indicat, necesse est, credamus Miltiadis matrem Cimonis bruti uxorem alio matrimonio Thucydidem procreavisse. Cimon enim ille (quum Suidas Miltiadem non iisdem parentibus, sed eadem matre tantum ortum esse affirmaret) Thucydidis pater dici non potest. — Illis vero, quae Suidas dixit, fidem habere plures ob caussas non possumus, quarum prima est temporis ratio. Mortuus enim est Miltiades antequam Thucydides natus est viginti fere annis. Atque etiam qua ratione Thucydides ab Oloro rege originem duceret, nesciremus. Ab eo autem originem duxisse nostrum vel certissimum est secundum eos auctores, quos laudavimus Marcellinum, ignotum scriptorem, Plutarchum. Quod quum ita sit, consentiendum videtur cum iis, qui *ἀπὸ μητρὸς ἀπὸ Μιλτιάδου* legi volunt ut verborum sententiam hanc intelligamus: „secundum familiam maternam a Miltiade descendit,“ quo aut ipsius aut patris matrem respicias; nisi forsan verba *ἀπὸ μητρὸς Μιλτιάδου* idem et ipsa significant, ita ut coniecturâ non opus sit. Eadem igitur, atque quae iam nota sunt, locus ille testificatur. Clarissimus quidem Krügerus in: Untersuchungen über das Leben des Thukydides p. 4. ex Suidae verbis coniectavit Miltiadis Marathonii filiam Thucydidis nostri aviam fuisse, quum hoc loco et apud Marcellinum §. 3. levi mutatione, quod de patre certum fuisset, de filio narratum esset „wenn nicht vielleicht gar, pergit vir doctissimus, die

richtige Angabe in der Lücke (apud Marcellinum) stand.“ Sed tali coniectandi ratione vera nunquam posse explorari nemo non videt. Neque rationi temporum illa Krügeri opinio satis bene convenit. Anno enim 518. a. Chr. n. (si Larcheri temporum descriptionem sequeris) Miltiades in Chersonesum Thraciam venit, et ibi haud brevi tempore procul dubio interiecto (quum ignotus fuisset Thracibus et initio a multis infestatus, de quo vide Herodot. VI. 39.) postquam imperium sibi firmavit, Hegesipylam uxorem duxit, ita ut ante annum 516. a. Chr. n. filiam illam genitam fuisse vix concedas. Aliter quam Larcher. statuit Clinton. qui (Fast. Hellenic. Oxford. 1824. V. II. p. 16.) Miltiadem anno demum 515. Stesagoram fratrem sequutum esse voluit. Vereor tamen ne explorari non possit is annus, quum tantummodo id constet, Miltiadem abiisse in Chersonesum antequam Hipparchus necatus esset. Dicit enim Herodotus l. l.: *καταλαμψόμενον τὰ πρήγματα ἐπὶ Χερσονήσου ἀποστέλλουσι τριήρεϊ οἱ Πεισιστρατίδαι.* Neque vero errabimus, si hoc coniugium multo serius, quam Miltiades in Chersonesum venisset, initum esse, statuemus. Quid? num Miltiadis filiae ex hoc coniugio ortae iam anno 470. nepos (Thucydides videlicet noster) genitus sit? Ad extremum Cimon Miltiadis filius et Hegesipylae a. 489. puer admodum fuisse fertur Quae igitur accurate perpendentes, quum Thucydidis patri nomen Olori fuerit et usitatissimo Graeci more nepotes avi nomine appellaverint, si Olorum regem proavum scriptoris nostri ponimus, rectius fecisse videbimur. Certe patri Thucydidis Olori nomen non fortuito nec sine causa impositum esse certa firmant testimonia, alterum Marcellini §. 2. *Ὀλόρου μὲν προῆλθε πατρὸς τὴν ἐπωνυμίαν ἔχοντος ἀπὸ Ὀλόρου τοῦ Θρᾳκῶν βασιλέως*, alterum ignoti scriptoris vitae Thuc. §. 1. *καὶ γὰρ ὁ πατὴρ αὐτῷ Ὄλορος ἐκ Θρᾴκης εἶχε τοὔνομα*‘ praeterea vide Plutarchi verba, quae iam supra laudavimus. Daunou in: Biographie universelle. Paris 1826. V. XLV. eodem modo haec videtur intellexisse p. 553. dicens: „d’Olorus, qui tenait son nom d’un roi de Thrace.“

Duplex nunc quaestio oritur utrum avia Thucydidis Hegesipyla fuerit Miltiadis coniux, an soror He-

gesipylae quaedam, alia Olori regis filia. Et sororem quidem Hegesipylae peperisse Olorum Thucydidis patrem, verba Plutarchi non negant. Immo miremur, si Hegesipyla bis nupta fuerit, id Plutarchum eiusmodi rerum diligentem et de Miltiadis et Thucydidis cognatione agentem silentio praeteriisse. Attamen nihil possumus colligere ex silentio Plutarchi. Ad alteram igitur quaestionem revertimur, an Hegesipyla ipsa mater Olori fuerit, quae est vulgata suspicio; sed et haec valde laborat, quum Hegesipylam antequam Miltiades in Chersonesum veniret, cum cive Atheniensi nuptam fuisse haud credibile sit et, si eam post mortem demum Miltiadis (a. 489.) iterum nupsisse credamus, in non minorem difficultatem incidamus; nam primum femina illa tum senioris iam aetatis et (ut in regionibus calidioribus, quibus mulieres cito senescunt) liberis procreandis parum apta fuerit. Deinde quibusdam temporum ordini non congruere fortasse videretur post annum tandem 489. natum esse Olorum Thucydidis patrem. Hoc vero explanare posses, si Thucydidem circa annum 453 genitum esse existimares. Quod num verum sit postea videbimus. Sed tamen etsi anno 470. sive 471. natus est, non potest demonstrari, eum non fuisse Hegesipylae nepotem. Fieri quoque potuit, ut nuberet Hegesipyla Miltiade adhuc vivente civi Halimusio.

Quibus omnibus accurate perpensis opinor fuisse Hegesipylam filiam regis Thraciae eandem atque matrem Thucydidis, quae tenerae admodum aetatis puella non multo ante Miltiadis ex Chersoneso fugam huic uxor data fuisset. Bene video mirum esse patrem et avum maternum idem nomen habere, at non minus admirandum sit Olorum feminam in matrimonium duxisse, quae sicut mater et ipsa Hegesipyla nominata esset. Immo possis suspicari patrem a socero suo accepisse nomen, quod fulcitur et ignoti scriptori de vita verbis et Marcellini, quae supra commemoravimus. Nullum sane auctorum testimonium mihi ita coniectanti obstat. Sed quum Plutarchus de tali Cimonis cum Thucydide propinquitate taceat, rem in medio relinquamus. Quum Miltiades moreretur, Cimon μειράκιον παντάπασιν fuit (cf. Plutarchus in vita Cimonis c. 4.) et anno 480. νέος ὢν ἔτι

καὶ πολέμων ἄπειρος et post pugnam Salaminiam tandem ad rempublicam gerendam accessit (cf. idem c. 5.).

In stemmate Thucydidis, quod curavi, opinionem vulgatam ex qua Miltiadis coniux Hegesipyla mater Olori fuerit retinui, eo imprimis argumento ductus quod huic rationi congruere quodammodo videtur locus perditissimus Marcellini §. 3.: *δοκεῖ οὖν τισιν * εἶναι τοῦ Μιλτιάδου ἡ θυγατριδοῦς*. Inter vobabula *τισιν* et *εἶναι* suppleverunt editores (primum Is. Casaubonus) *ἀδελφιδοῦς*, quod verbum novam prorsus de cognatione Thucydidis daret sententiam. Itaque hac coniectura ut nimis audaci reiecta spatium vacuum vocabulo levi quodam atque minuto explens (si omnino expleri oportet, de quo tamen nisi viso codice manuscripto iudicare non possumus, namque scriptor codicis litteras fortasse aliquas false pictas deleverit) pro *ἡ* legere malim *ὁ* (*θυγατριδοῦς*) quo Marcellini sententia haec est: „Videtur nonnullis fuisse Miltiadis nepos" faveretque scriptor Krügerianae coniecturae, quam supra p. 25. improbavimus. Sed errorem hunc scriptorum facile etiam eo explicari posse quisque videt, quod, qui sciebant Thucydidem fuisse nepotem Hegesipylae et Hegesipylam uxorem Miltiadis, habebant Thucydidem Miltiadis quoque nepotem et quidem ex filia natum, quoniam progenies Cimonis omnibus satis nota fuit et Thucydidis pater tradebatur nomine Olori appellatus esse.

Ceterum significavisse sufficit Suidam rem omnem pervertisse et confudisse pergentem *ἀπὸ δὲ πατρὸς Ὀλόρου τοῦ Θρᾳκῶν βασιλέως* (scil. *τὸ γένος ἕλκων*), quem similitudine nominis in errorem inductum esse apparet. Necesse est fuerit Thucydidis pater civis Atheniensis. — Sero accepi Suidam a Gaisfordio (Oxonii 1834.) editum, in quo verba, quae de nostri prosapia agunt (I. p. 1902.) aliter leguntur, quam apud Küsterum (ed. Cantabrigiae 1725. II. p. 199.). Scripsit enim ex codice: *ἦν δὲ ἀπὸ μὲν πατρὸς Μιλτιάδου τοῦ στρατηγοῦ* (quod et ipsum insanum esse quisque videt) *τὸ γένος ἕλκων, ἀπὸ δὲ μητρὸς Ὀλόρου τοῦ Θρᾴκων βασιλέως* (quod vel maxime faveret coniecturae nostrae). Quomodo vero legendum sit, quum vocabula compendiis exarata *πτρος* et *μτρος*) facile potuerint confundi, vix unquam explorabitur. Recte autem

se habent, quae Aphthonius in progymnasmatis rhetoricis de Thucydide tradit: *προγόνοις μὲν βασιλεῦσι ἐχρήσατο.*

4) Thucydidis cum Pisistratidis coniunctionem, quum de ea recentiores Thucydidis commentatores dubitaverint, quaestioni iterum subiicere non ab re fore ratus sum. Hoc vero lectorem benevolum monitum velim veteres scriptores plerumque in rationibus originis sive genealogiae designandis non eam curam adhibuisse, ut (veluti nostrae aetatis homines solent) inter propinquitatem connubiis acquisitam et stirpem sanguine ortam diligenter discernerent. Qui si dicunt *ἕλκει τὸ γένος ἀπό τινος* de utraque cognatione sentiunt. Hac cautione adhibita iam fontes adeamus:

1) Scholiasta Thucyd. ad L. I. 20.: *ταῦτα λέγει ὁ συγγραφεὺς ὡς καὶ αὐτὸς ὢν τοῦ γένους τῶν Πεισιστρατιδῶν καὶ διαβάλλει τοὺς περὶ Ἁρμοδίου.*

2) Marcellinus in vita Thuc. §. 18.: *ὁ δὲ Ἕρμιππος καὶ ἀπὸ τῶν Πεισιστρατιδῶν αὐτὸν λέγει τῶν τυράννων ἕλκειν τὸ γένος.* Quod ad hunc Hermippum attinet, silentio praetermittere non possumus eius fidem esse laudatam a Josepho Judaeo, cuius laus eo pluris est aestimanda, quo libentius ille increpat res graecas et graecos scriptores.

3) Idem §. 32.: *Δίδυμος δ' ἐν Ἀθήναις ἀπὸ τῆς φυγῆς ἐλθόντα βιαίῳ θανάτῳ φησὶν ἀποθανεῖν. τοῦτο δέ φησι Ζώπυρον ἱστορεῖν. τοὺς γὰρ Ἀθηναίους κάθοδον δεδωκέναι τοῖς φυγάσι πλὴν τῶν Πεισιστρατιδῶν μετὰ τὴν ἧτταν τὴν ἐν Σικελίᾳ· ἥκοντα οὖν αὐτὸν ἀποθανεῖν βίᾳ·* qui scriptores quamquam in eo errare videntur, quod bello peloponnesiaco legem, qua Pisistratidae vetarentur, ne Athenas reverterent, esse latam narrant, cognatum tamen Thucydidem Pisistratidis fuisse iidem testantur. Haec ergo res Scholiastae, Hermippi, Zopyri, Didymi et (si ita vis) Marcellini quoque auctoritatibus nititur, quibus ne unus quidem vetus scriptor umquam contradixit.

„Indess die Verbindung, contendit Krüger. in: Untersuchungen über das Leben des Thukyd. p. 5. in der diese Nachricht gegeben wird, erregt einigen Zweifel gegen ihre Zuverlässigkeit.“ Marcellinus enim pergit §. 18.: *διὸ καὶ διαφθονεῖν αὐτόν φησιν* (Hermip-

pus) *ἐν τῇ συγγραφῇ τοῖς περὶ Ἁρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονα λεγοντα ὡς οὐκ ἐγένοντο τυραννοφόνοι· οὐ γὰρ ἐφόνευσαν τὸν τύραννον, ἀλλὰ τὸν ἀδελφὸν τοῦ τυράννου Ἵππαρχον·* „Manches auffallende Beispiel beweist, wie geneigt die späteren Griechen waren, da, wo sie gewisse Interessen, besonders in Beziehung auf Vaterlandsliebe von den Geschichtschreibern verletzt glaubten, ihnen schlechte Beweggründe unterzuschieben. Sehr natürlich, dass man dabei es mit der Wahrheit nicht immer sehr genau nahm und wohl gelegentlich eine Vermuthung als Thatsache aussprach. Das könnte leicht auch hier geschehen seyn, vielleicht nicht vom Hermippos selbst, sondern von einem Athenischen Geschichtschreiber, der von ungehöriger Vaterlandsliebe geleitet auf eine solche Weise sich die von der herkömmlichen Sage abweichenden Angaben des Thukydides über die Tyrannenmörder erklären zu müssen glaubte." In quo idem fere contendit atque Hobbes in interpretatione Thucydidis Anglica (Londini 1634. fol.) qui: „Some also have coniectured that hes was of the house of the Pisistratides; the ground of whose coniecture hath beene onely this, that he maketh honourable mention of the government of Pisistratus etc." Quod igitur ait Krüger posterioris aetatis Graecos saepe opinatos esse, scriptores qui patriae amorem laeserint in rebus gestis enarrandis non veri indagandi studio sed mala quadam cupidine esse ductos, quamquam a nemine rerum graecarum prudenti repudiabitur, causa tamen inde nobis esse non poterit spernendi ea, quae ex fontibus hausimus. Fontes enim historicus sequi debet religiose, de fide auctorum idem omnino atque iudex de hominum moribus sentiens: „Quilibet praesumitur bonus, donec probetur contrarium." Et ipse Krügerus, quoniam se rei parum satisfecisse intelligeret, praesertim quum fidem Thucydidis ut cum Pisistratidis coniuncti multi in suspicionem vocavisse viderentur, aliud protulit argumentum hocce: „Die Peisistratiden waren mit ihren Kindern aus Athen vertrieben und gewiss hat keiner ihrer Nachkommen, zumahl in den nächsten Jahrzehnten die Rückkehr nach Athen erlangt oder gewagt." At etsi Pisistrastratidae Athenas non revertebantur, propinquus ta-

men illis Thucydides esse potuit: quibus videlicet iam civis ille Halemusius, qni Hegesipylam Olori filiam in matrimonium duxit, propinquus fuerit. Facillime enim Hegesipyla, quoniam Pisistratidae Miltiadis expeditionem in Chersonesum susceptam adiuverant, et illos et gentiles propinquosque cognitos habens alicui ex illis viro nupserit. Unde non video, quo iure Goeller potuerit contendere adversus Hermippi auctoritatem esse ea, quae aliunde de stirpe Thucydidis noverimus, quum tantummodo de Hegesipylae Olori regis filiae prosapia scriptores nos faciant certiores. Nos vero paternum genus ad Pisistrati filios referentes, hos Olori Thucydidis patris agnatos fuisse censemus, utrimque propinquos Thucydidi ipsi (collaterales). Itaque Grauerto et Krügero non assentio coniicientibus Pisistratum genus duxisse ex pago Philaidum, qua cum gente Cimon coniunctus esset, unde Thucydidem habitum esse propinquum tyrannis. Quam opinionem etiam Goeller in Thucydide suo iterum edito V. I. p. 20. impugnat.

Ceterum post haec quae disseruimus reiicienda esse ea, quae Poppo in Prolegomenis ad Thucydidem V. I. p. 24. statuit, sua sponte clarescit. Coniecit enim ille Hermippum et Scholiasten finxisse a Pisistratidis originem duxisse Thucydidem ideo quidem, ut cur de Pisistratidis bis in historia fusius diceret explicarent. At cur fecerit, ipse indicavit: disseruit enim de iis (uti diserte in utroque loco I. 20.; et VI. 54. affirmat), ut erroribus vulgi correctis verum innotesceret.

His expositis ii illustrantur, qui Thucydidem summo loco ortum esse tradunt: Cicero in Bruto 10., Dionysius Halicarnassensis p. 710. (in epistola ad Pompejum III. 38.), incertus vitae scriptor §. 6.

§. 3.

Thucydidis annus natalis secundus fuit Olympiadis septuagesimae secundae, qui est annus ante Christum natum 471. sive 470.

Sed cave, ne hunc annum premas. Quum enim (sicuti §. 1. exposuimus) ii, qui Thucydidis aetate proximi fuerunt, annum, quo natus esset, non adeo diligenter videantur exploravisse, et vitam scriptoris ii demum coeptarent indagare, qui erant posteriores, mirum haud dubie sit, si natalem Thucydidis annum tam accurate potuerint definire auctores nostri, qui quattuor vel quinque saeculis postquam Thucydides defunctus est floruerint. Quare fidem rerum nos non laesuros esse credimus si Thucydidem circa hunc quadringentesimum septuagesimum ante Christum n. annum, fortasse etiam annis aliquot post, natum esse statuimus.

Quadraginta igitur annis ante bellum peloponnesiacum exortum, cuius et particeps et scriptor fuit, natus est, finitoque bello vixit adhuc annum aetatis fere sexagesimum septimum agens[1]).

---

[1]) Reiecta enim illa Krügeriana de anno Thucydidis natali sententia, quam multi viri docti acceperunt, veterem opinionem sequor. Ac de illa quidem, quamquam Krügero Goellerus nuperrime magna doctrinae copia

adversatus est, tamen necessarium esse duxi rem iterum aggredi. Quod quo rectius instituamus, primum Krügeri argumenta omnia perlustremus.

Innititur id quod de anno, quo scriptor noster natus sit, scimus Pamphilae testimonio, feminae graecae, quae (ut videtur) in Aegypto vixit. Ac de ratione qua, quod memoriae prodidit, de nostro accipiendum arbitramur, supra disputavimus contendentes amovendam esse nimiam in tali re definienda subtilitatem; in quibus vero de Hellanici et Herodoti anno natali egit, certum annum designavit. — Scripsit haec Pamphila magna volumina. Sed ipsius Krügeri audiamus verba, ne quis nos mutato sermone rationum ab eo prolatarum vim minuisse existimet, neve in nos cadat, quod ille in alios increpat, Leben des Thukyd. p. 32. a. 1. „Sie hat zusammengetragen, ait ille, ohne Ordnung und Plan historische Einzelnheiten aller Art, wie der Zufall sie ihr durch Umgang oder Bücher in die Hände spielte. Eine so entstandene Sammlung kann unmöglich als sehr zuverlässige Quelle betrachtet werden, zumahl in chronologischen Angaben, in denen (auch nur in Beziehung auf sich selbst) genau zu seyn, überhaupt nicht die Stärke des schönen Geschlechtes ist. Auch wird die Pamphila sonst in dieser Beziehung sehr selten angeführt.“

Tria igitur criminum genera his verbis insunt, quorum primum est, quod Pamphila quaecunque in libris invenerat non ad certam rationem quandam redegerit, secundum, quod quaecunque absque consilio certo collecta sunt minoris fidei habenda sint, tertium, quod Pamphilae libri ad temporis rationes enucleandas ab aliis scriptoribus raro laudentur. Haec tria singula reputemus.

Quod ad primum attinet, libere profiteamur, nos, quum Pamphilae libri deperditi et perpauca tantum ex illis apud alios scriptores reservata sint, nullo modo de Pamphilae scriptis iudicare posse. Quapropter acquiescendum videtur in iudicio Photii, qui (in Myriobiblio cod. 175.) Pamphilae egregiam et praestantem diligentiam commemorat, qua curaverit nos de multis rebus edocendos. Tradit ille Pamphilam *συμμικτῶν ἱστορικῶν ὑπομνήματα* eo consilio scripsisse, ut rerum memorabilium memoriam servaret,

quare res suas digesserit in modum Variarum Historiarum Aeliani et Noctium Atticarum Gellii. (*ταῦτα δὲ πάντα, ὅσα λόγου καὶ μνήμης αὐτῇ ἄξια ἐδόκει, εἰς ὑπομνήματα συμμιγῆ καί οὐ πρὸς τὰς ἰδίας ὑποθέσεις διακεκριμένον ἕκαστον διελεῖν* etc. Itaque fuit liber *χρήσιμος — εἰς πολυμαθίαν· εὕροι γε ἄν τις καὶ τῶν ἱστορικῶν οὐκ ὀλίγα ἀναγκαῖα κ. τ. λ.*)

Jam Krügeri verba respiciens id non video, neque alios qui legerint intellecturos esse arbitror, quo modo, quae Neronis aetate (eo enim tempore Pamphila floruit) sibi proponeret, ut de rebus, quae ante plura saecula gestae sunt, (quarum igitur neque ipsa particeps fuit, neque eos, qui interfuerint, narrantes audire potuit) scriberet, aliter consilium suum consequi potuerit, quam si scripta vetusta evolveret atque, quae ex doctissimorum suae aetatis hominum narrationibus comperta haberet, repeteret. Quod nisi Pamphila fecisset, sed scripsisset ex ingenio suo sive (hoc enim idem est) finxisset, inter poetas nec historicos referenda esset. Namque severius expostulamus, ut, qui res gestas scribere curet, patria earum perlustrata nova de situ urbium prodat aut vetustis monumentis usus errores sibi traditos corrigat; quamquam si quis fecit ita, maxima sane laude dignus est. An et Pamphila fecerit, nescimus: attamen nec iis, qui hucusque incognita non promant, sed vetera tantum et iam nota repetant, fides est abnuenda: immo vero quo pressius veteres libros sequuntur nihil ex suo ingenio iniicientes, eo pluris sunt nobis aestimandi.

Iam ad alterum deveniamus Pamphilae crimen: quo iure Krügerus contendere potuit illos scriptores, qui in scribendo non uno consilio ducti varia ad varium finem colligerent, nobis esse negligendos? Scilicet libros eorum, quibus eadem ratio constat, ita ut omnia in unum exitum spectent, libentius quidem evolvimus ingenii acumen admirantes: attamen fides iis, qui contra faciunt, est eadem: immo arbitremur licet illos, qui plura singulatim vario ordine collegerunt, religiosius res tradidisse, utpote diligenter caventes, ne quid a se mutaretur. Contra qui magno ingenio summas rerum perscribunt in parvis commemorandis saepe non tam curiosi solent esse, quam isti, qui res etiam minutas animadvertunt iisque gaudent.

Quod de Pamphila quoque dicendum, quae nisi iis, quae pusilla erant, delectata vix opus tale XXXIII. voluminum conscripsisset. Tot enim composuit teste Suida. Itaque qua re fidem Pamphilae detrahi posse Krügerus putavit, câdem ea magnopere augeri nobis visa est: artem Pamphilae fuisse ullam cum Krügero negamus: Et vero muliebre ingenium illud rerum maiorum insuetum parva multo magis ipsis viris curaverit: inde ergo annorum quoque describendorum cura feminis non exigua tribuenda. Vulgata denique res (ut Krügero iocose neganti iocose respondeamus) feminas non propriam quidem aetatem sed virorum studiose exquirere Thucydidemque fuisse virum; est ergo, ut brevi dicam in aetate hominum constituenda eadem vel maior auctoritas feminis quam viris.

Iam ne tertia quidem causa obstat, quominus quae Pamphila protulerit credamus. Scilicet raro, inquit Krügerus, eius verba ab aliis scriptoribus laudantur. Enimvero quum Pamphila demum sub Neronis imperio floreret, perpauci tantum, quae scripserat, in suum usum convertere potuerunt. Latebant insuper fortasse libri absconditi (quales Taciti feruntur). Deinde ut pervulgatis scriptores iis raro usi sint: quid inde sequitur? Nimirum ne hoc quidem ipsam Pamphilae auctoritatem minuit. Nonne enim Polybium quoque neglexerunt post scribentes? Denique ipsa nominatur Pamphila a Diogene Laertio octies, a Gellio bis, a Photio, quorum nullus de fide illius aliquid detrahit: immo Photius tradit (cod. 161. ed. Bekkeri 1824. 4. p. 103. a.) Sopatrum Pamphila usum esse.

Iam si quis Krügeri de Pamphilae auctoritate iudicium propterea, quod iste vir fontium fidem optime perspectam habeat, se sequi debere censeat, is legat, quae alius fide dignissimus de Pamphila scriptor sentit, Sturzius, qui eam feminam doctissimam et auctoritate ornatam appellat.

Et ut omnia, quae disputavimus, errata sint, Goellerum qui in hanc sententiam disserit vere loquutum putabimus: „Krügerus, quod de fide Pamphilae derogat, non cogitavit hominem vel rudem in litteris, sed cui libri nunc deperditi suppeterent, recte annum alicuius scriptoris natalem prodere potuisse.“

Haec hactenus de fide Pamphilae, cuius iam ad ipsa verba procedamus. Ait Gellius in Noctibus Atticis XV. 23.: „Hellanicus, Herodotus, Thucydides historiae scriptores in iisdem temporibus fere laude ingenti floruerunt et non nimis longe distantibus fuerunt aetatibus. Nam Hellanicus initio belli peloponnesiaci fuisse quinque et sexaginta annos natus videtur, Herodotus tres et quinquaginta, Thucydides quadraginta. Scriptum hoc libro undecimo Pamphilae."

Haec verba Krügerus sine idonea causa infringere est conatus: „In dem vorliegenden Falle erregt schon trotz der sonstigen Bestimmtheit der Angabe das schwankende scheint einiges Misstrauen." Qua quidem re contra Krügerum monere possis, illud „videtur" de Hellanico solo (utpote cuius aetas incertior esset) dictum esse Gelliumque non mutata verborum iungendorum ratione in eadem oratione pergere, quo illud „videtur" de Thucydide non valeret. At ut valuerit, tamen verbo non inest talis vis, ut ambigua sit dubiaque significatio, sed quotidiano apud Romanos sermonis usu de rebus dicebatur, quae ne in incerto quidem positae essent: id quod Ciceronis libri atque orationes satis probant. Krügerus, quo rem suam augeret, mallet a Pamphila ipsa scriptum fuisse „videri tantum etc." („wie es allerdings den Anschein hat"). Quod ex Gellii verbis non recte colligeres, qui, quo tres scriptores illustrissimos iisdem temporibus exstitisse probet, tempus, quo floruerunt, profert, eiusque rei auctorem Pamphilam laudat. Utrum ipsa Pamphilae volumina evoluta ad verbum descripserit an sententiam prout animo obversabatur tradiderit, in medio relinquendum est. Sed ut ipsa Pamphila scripsisset δοκεῖ κ. τ. λ.: hoc tantum verecundiam quandam atque modestiam demonstraret neque rationes praeberet rei subdubitandae.

Sic refutatis iis quibus, quae ex Pamphila tradidit Gellius, non credenda esse existimavit Krügerus, ceteras adeamus causas quibus commotus ille vir doctus Thucydidem quadraginta annis ante bellum peloponnesiacum natum negavit.

Primum enim huic opinioni ipsa verba Thucydidis obstare contendit. Namque profitetur noster ipse de sese V. 26. sic: ἐπεβίων δὲ διὰ παντὸς αὐτοῦ (belli

pelop.) *αἰσθανόμενός τε τῇ ἡλικίᾳ καὶ προσέχων τὴν γνώμην, ὅπως ἀκριβές τι εἴσομαι.* Quae verba Krügerus posteriorem potissimum belli partem respiciens in hunc modum interpretatus est: „Also vermöge seines Alters, versichert der Geschichtschreiber, habe er die Ereignisse richtig aufzufassen vermocht. Er kann mithin weder beim Anfange des Krieges ein unreifer Jüngling, noch am Ende desselben ein abgelebter Greis gewesen seyn. Für das erste bedurfte es kaum einer Versicherung — desto mehr für das zweite, da grade diese schon Olymp. LXXXIX, 1. bekleidete Würde (*στρατηγοῦ*) leicht die Vermuthung, dass Thukydides am Ende des Krieges schon in sehr hohem Alter gewesen sei, veranlassen konnte. Sie zurückzuweisen ist also auf jeden Fall wenn nicht allein, so doch vorzugsweise der Zweck jener Worte. Wenn aber diess der Sinn der Stelle ist, so kann man sich schwerlich überreden, dass Thukydides am Ende des peloponnesischen Krieges schon sieben und sechzig Jahre alt gewesen. Denn obgleich ein Mann dieses Alters immer noch kräftigen Geistes sein kann, so wird er doch schwerlich äussern, dass er diess vermöge seines Alters sei; er ist es vielmehr ungeachtet seines Alters. Also nicht *αἰσθανόμενος τῇ ἡλικίᾳ* konnte Thucydides sagen, wenn er zu der angegebenen Zeit ein Greis von sieben und sechzig Jahren war, sondern nur etwa *αἰσθανόμενος τῇ γνώμῃ* oder *τῇ διανοίᾳ*.

Utrumque Thucydides eos, qui ipsius libros evolverent, ut fidem suam atque auctoritatem recte aestimarent, compertum habere voluit, se ad res gestas cognoscendas per aetatem tum potuisse animum attendere, tum attendisse. Ac de prima quidem sententia non dicendum fuit Thucydidi, qua maxime aetate scripsisset: id solum ii, qui scripta illius legebant, sentirent oportebat, Thucydidem id aetatis hominem fuisse, ut (quippe per aetatem) nihil impeditus fuisset, quominus res gestas recte cerneret. Quare Thucydides vocabulo *ἡλικίᾳ* optime utitur in medio relinquens, an aut adolescens aut iuvenis aut vir aut senex res gestas viderit: qui si scripsisset *αἰσθανόμενος διανοίᾳ*, vim sententiae utique oppressisset, quoniam haec verba idem fere affirmarent, quod altera

huius comprehensionis parte noster verbis *καὶ προσέχων τὴν γνώμην* diserte asseruit. Accedit ut nemo propterea, quod Thucydides a. 424. a. Chr. n. dux classis fuit, eum pace inita decrepitum senem fuisse iure quodam suspicari possit. Ut, quod Krügero placet, vocabulum *ἡλικία* omnino florentem solam aetatem significet, tamen Thucydides de se narrat, qualis per bellum (*διὰ παντὸς αὐτοῦ*) fuit i. e. per triginta fere annos inde a quadragesimo suae aetatis anno usque ad belli exitum. Nimirum per totum bellum operam dedit, ut res gestas ab omni parte cognosceret. Atque quum finito bello valida fuiset senectute, nulla adest satis idonea causa, cur dicere debuerit „per iuvenilem et senilem aetatem." Licet bello exacto quinquagenarius fuerit, num florentis adhuc aetatis se esse affirmaverit? Nonne quinquagesimum annum agens eodem iure, ac si senex sexaginta septem annorum esset, se *αἰσθανόμενον διανοίᾳ* dicere potuerit? — Denique vis verbi *ἡλικία* latius quam Krügero placuit patet, quum (quód inter alia a Passovio allata loc. Iliadis L. XXII. 419. demonstrat) de senili quoque aetate dicatur, illa scilicet apta aliquid agendo. Nostrum vero locum Dionysius in iudicio de Thucydide c. VI. p. 821. in hunc modum illustrat: *ἐῤῥωμένος τε τὸ σῶμα καὶ τὴν διάνοιαν ὑγιαίνων.*

Illis igitur ipsis verbis Thucydidem se non negare esse senem postquam demonstratum est, accedit ut eadem verba nemo nisi qui provectioris iam esset aetatis potuerit scribere. Etenim ei qui floret aetate adhuc, num in mentem veniet diserte notare se per aetatem non impeditum fuisse, quominus quaecunque observaret? Is nusquam se non esse senem decrepitum assereret, sed verba *ἐπεβίων δὲ διὰ παντὸς αὐτοῦ* sufficere ratus esset, praesertim quum iis, qui diligenter libros legebant, Thucydidem quando bellum inceptum est rudem infantem non fuisse appareret. Contra seniorum hominum mos est grave momentum in annis suis multis ponere, et in quacunque re possunt ad aetatem suam respicere, veluti sic plus valerent.

Aliud in scenam prodit argumentum hocce: „Und wie ist es endlich wahrscheinlich, dass der Geschichtschreiber erst in einem Alter von vierzig Jahren den Stoff zu einem Kriege gewählt und zwar in einem

Kriege, dessen lange Dauer er seiner eigenen Erklärung nach voraussah und dessen Ende zu erleben er also nicht mit Zuversicht hoffen durfte? Denn wollte man auch annehmen, dass er zwar einen langen aber grade keinen sieben und zwanzigjährigen Krieg erwartet habe, so spricht dagegen seine eigene Angabe, dass gleich zu Anfange desselben diese Dauer vorhergesagt worden sei. Zwar wird er auf die Erfüllung der Prophezeihung nicht mit Gewissheit gerechnet haben. Indess dass der Kampf viel kürzere Zeit währen würde, liess sich doch auch nicht erwarten. Hiernach aber hätte Thukydides, wenn er zu Anfange des Krieges bereits vierzig Jahre gewesen wäre, voraussetzen müssen, dass er ein Alter von sechzig bis siebenzig Jahren erreichen und in demselben noch die zur Vollendung eines bedeutenden Werkes erforderlichen Kräfte besitzen würde. Solche Geistesfrische im Greisenalter erscheint aber im Ganzen zu selten, als dass Jemand auf die Möglichkeit, dieses Glückes theilhaftig zu werden, die Ausführung eines ihm wichtigen Unternehmens bauen sollte." Haec Krügerus. Historici quidem non esse puto n e g a r e quod historia t r a d i t aliquem sibi proposuisse, q u o n i a m ipse non potest rationes reddere, quibus commotus ille hoc voluerit. Itaque narrantibus antiquis scriptoribus Thucydidem annum quadragesimum egisse, quum consilium describendi belli Atheniensium et Peloponnesiorum caperet, propterea quod is h a c a e t a t e non satis bene cogitare potuisse nobis videtur, non contendemus Thucydidem aetate minorem exstitisse, quum ad libros de bello illo scribendos animum impelleret. Hoc enim est fidem rerum pervertere. Namque quum hoc non potuisse fieri probari nequeat, credenda sunt quae boni auctores tradiderunt. Attamen ne quis culpet nos leviter reiecisse, quae Krügerus coniecit, rem fusius pertractabimus. Primum enim quid obstat, quin quadraginta annos natus consilium capias describendi rem memorabilem? Viresne suppetunt? At (dicat fortasse aliquis) si Thucydidis animus ad conscribendas res inclinavit, quidni voluerit iunior res graecas narrare? Quod quodammodo sentiunt, qui eum bello exorto annum vicesimum fere quintum egisse affirment. Sed se vivo bellum tam grave quam illud pelopon-

nesiacum fuit antea non gestum est, quapropter animus ad res illas, quae bellum illud proxime antecesserunt, posteris tradendas non alliciebatur. Atque paullatim crescunt consilia sensimque mentem implent. Quum vero Thucydides (ut ex libro primo patet) iam per multos annos ad res Atheniensium et ceterarum Graeciae civitatum animum attendisset, illisque magis magisque implicatis bellum gravissimum oriturum esse intellexisset, (*ἀλλὰ πρὸ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου τὸν πόλεμον αἰσθηθεὶς κινεῖσθαι μέλλοντα*, Marcellin.) hoc bellum describere statuit, quo exorto tandem cur a proposito suo abhorrere debebat, quoniam annum quadragesimum iamiam egit? quae aetas stimulos potius addidisset opus tantum suscipienti. Etsi certis argumentis ductus longum fore bellum opinatus est, tamen haud dubie non speravit idem in tricesimum fere annum tractum iri atque per unam aetatem hominum duraturum: namque longum id quoque certamen habetur, quod fit per decem vel per septem annos. Iam vero quod vaticinia non curaverit, num mirum? Accepimus paulo post inceptum bellum multos enisos esse, ut bello finem imponerent; constat, postquam decem annos bellatum est, pacem inter Athenienses et Lacedaemonios factam foedusque ictum esse. Verum bello bellum alitur, bellandoque nova belligerandi semina sparguntur. Hoc fortasse non reputaverit Thucydides. Sed ut reputaverit hoc quoque, num debebat propositum suum abiicere, quia praematura mors eum vitae eripere potuit? Tum abrupta remansit historia belli sicuti eam habemus. Nimirum Thucydides mortuus est, priusquam historiam ad finem perduxit. Sequamur denique Krügerum statuentes Thucydidem tunc, quum bellum exortum esset, ne tricesimum quidem aetatis annum attigisse: — quo pacto, si bellum in vicesimum vel tricesimum annum duraturum esse crediderit, finem belli se vivo futurum (sive se perventurum ad sexagesimum propemodum annum esse) certo confisus fuerit? Haec enim in Deo sunt.

Iam ut rectius exploremus utrum, quod de tempore, quo Thucydidis natus sit, Pamphila dicat, credere possimus nec ne, ceteros auctores qui, quo tempore scriptor floruerit, memorant, proferamus prolatosque examini subiiciamus.

1. Primum Gellius, qui Pamphilae verba rettulit, testis habendus est, quia cum illa videtur consentire. Iam quidem quod Gellius illam laudat, non eo demonstrat se et ipsum religioso iudicio adhibito annum Thucydidis natalem exploravisse: qui si hunc annum et ipse indagasset, Pamphilae auctoritate vix esset usus; sed tamen indidem apparet Gellium virum in veteribus scriptis permultum volutatum aut nullum prorsus de Thucydidis aetate testimonium reperisse praeter illud Pamphilae aut nullum auctorem legisse, qui aliter quam Pamphila dixisset. Quod si ita est, Gellius quoque auctor idoneus est, in quo acrem quidem atque subtilem rei curam etsi frustra quaeras, temeritatem tamen atque negligentiam nusquam vituperabis: verum enim vero quae de se ipso l. XVII. c. 21. iudicat ex quadam modestia dicta sunt intelligenda.

2. Aphthonium deinde audiamus, qui (apud Bekkium Ed. Thucyd. V. II. p. 740.) de Thucydide ait: *ὡς δὲ εἰς ἄνδρας ἀφίκετο, ἐζήτει καιρὸν εἰς ἐπίδειξιν ὧν καλῶς προησκήσατο καὶ ταχὺ παρέσχεν ἡ τύχη τὸν πόλεμον κ. τ. λ.* Quae verba Krügerus in suam rem verti posse temere putavit, quum potius cum Pamphila congruerent. Ait enim Aphthonius Thucydidem, quum ad virilem aetatem venisset, tunc demum materiem scribendi quaesivisse, moxque invenisse, quum bellum immineret. Veteres autem iuvenilis aetatis fines longe extendisse cuique notum est.

3. Marcellinus §. 29. Praxiphanem sequens de aetate Thucydidis aliter statuit, quam illo loco, quo Krüger sententiam suam fulsit. Dicit enim §. 28. *μὴ ἀγνοῶμεν δὲ ὅτι ἐγένοντο Θουκυδίδαι πολλοί, οὗτός τε ὁ Ὀλόρου παῖς καὶ δεύτερος δημαγωγὸς Μιλησίου ὃς καὶ Περικλεῖ διεπολιτεύσατο· τρίτος δὲ γένει Φαρσάλιος οὗ μέμνηται Πολέμων ἐν τοῖς περὶ ἀκροπόλεως φάσκων αὐτὸν εἶναι πατρὸς Μένωνος· τέταρτος ἄλλος Θουκυδίδης ποιητὴς τὸν δῆμον Ἀχερδούσιος, οὗ μέμνηται Ἀνδροτίων ἐν τῇ Ἀτθίδι λέγων εἶναι πατρὸς Ἀρίστωνος·* §. 29.: *συνεχρόνισε δ' ὥς φησι Πραξιφάνης ἐν τῷ περὶ ἱστορίας* (qui locus quomodo legendus sit, quaeritur: sed vide quae infra disputabimus §. 12.) *Πλάτωνι τῷ κωμικῷ, Ἀγάθωνι τραγικῷ Νικηράτῳ ἐποποιῷ καὶ Χοιρίλῳ*

καὶ Μελανιππίδῃ καὶ ἐπεὶ μὲν ἔζη κ. τ. λ. Priusquam tamen de temporum ratione enotata disputabimus, Krügerum refellere oportet, qui (Leben des Thuk. p. 61.) postremam hanc enunciationem non ad historicum nostrum sed ad subiectum proximum, poetam Thucydidem referri putavit. Sed animadvertere debemus Marcellinum de tribus hominibus, quibus nomen Thucydidi fuit, non nisi et quid egissent et quis pater fuisset indicavisse, quumque ad quartum Thucydidem poetam venisset, (si Krügerus recte sensit) excursu quodam digressum esse et postquam eadem de illo quoque tradidit ac de ceteris tribus, quaestionem novam movisse, quo tempore vixerit ille poeta et quando gloriam acquisiverit. Quod quum a re alienum fuerit (nimirum poetae illi nihil commune cum Thucydide fuit), tum ex verborum iungendorum Marcellini ratione intelligitur, novam incepisse enuntiationem, quae pertineret ad subiectum, de quo totus libellus agit, Thucydidem historicum. Quod inde etiam probatur, quia comprehensio *ἄδοξος ἦν κ. τ. λ.* et verba quae sequuntur §. 30. *οἱ μὲν οὖν ἐκεῖ λέγουσιν αὐτὸν ἀποθανεῖν ἔνθα*, de Thucydide nostro tantum valent. Quod Krügerus deinceps dixit de erroribus a Marcellino commissis in nomine, quo Praxiphanis liber inscriptus fuerit, coniecturis solis nititur, et ne sic quidem a vero videtur abhorrere Praxiphanem in libro, qui de poetis egit, scriptorem rerum tam illustrem commemoravisse: cuius praeterea vis poetica fugit neminem.

Iam videamus, quo tempore ferantur viri isti Thucydidis nostri aequales vixisse. Plato comicus mortuus est Archonte Philocle Olymp. XCVII. 1. a. a. Chr. n. 392. Agathon Tragicus coronatur (sive summum laudis fastigium assequutus esse traditur) Euphemo Archonte Olymp. XC. 4. a. a. Chr. n. 417. Melanippides (certe si minorem intellexit dithyramborum poetam, qui cum Perdicca rege versabatur atque in Macedonia mortuus est) floruit a. a. Chr. n. 466. Choerilum Praxiphanes Samium haud dubie significavit, qui in Macedonia apud Archelaum regem vitam finivit. Et hic natus fuit a. a. Chr. n. 479.

Habes itaque ex Praxiphane spatium temporis quo Thucydides vixerit, quatenus enucleare possumus, de-

scriptum inter annos fere 479. et 392. Quod nostrae rationi optime convenit.

4. Suidas in Lexico de Thucydide: *ἤκμαζε κατὰ τὴν πζ΄ Ὀλυμπιάδα* (floruit circa a. 430. a. Chr. n.) Quae fortasse sententia fuit Hesychii Milesii, cuius Onomatologiam Suidas ad vitas hominum narrandas descripsisse fertur.

5. Eusebius in Chronico idem affirmat. Codices quidem variant verba Eusebii „Thucydides agnoscitur" aut 35. aut 36. aut 38. anno regni Artaxerxis Longimani (sive Olymp. LXXXVII. 3. 4. LXXXVIII. 2.) adscribentes. Arnaldus Pontacus, qui hoc Chronicon edidit Burdigalae 1604., annum Olymp. LXXXVII. 3. praetulit, quem, qui postea Eusebii Chronicon ediderunt, sunt sequuti. Utut est, utrumque scriptorem et Eusebium et Suidam facile crederes hanc potissimum Olympiadem nominavisse idcirco, quia constabat Thucydidem eo tempore orsum esse res belli scribere.

6. Iam ad nostram sententiam magis confirmandam affere possimus velut Thucydidem fuisse condiscipulum Periclis, fuisse magistrum Antiphontis, causam capitis dixisse pro Areopago (cui iudiciaria potestas ab Ephialte iam est erepta), Sybarim migravisse a. 444. —: quae etsi fortasse non valent de Thucydide nostro, tamen a scriptoribus de eo nullo modo tradita essent, si Thucydidem circa a. 450. a. Chr. n. demum natum esse credidissent. At his aut parvum aut nullum momentum inesse concedo.

7. Scholia ad Aelii Aristidis disputationem *ὑπὲρ τῶν τεττάρων* p. 121. 18.: *συμφοιτητὴς ἦν Περικλέους ὁ Θουκυδίδης, ὡς ἔγνωμεν· διὸ καὶ ἐφίλει αὐτόν*, ultima verba nos impediunt, quominus cum Krügero statuamus historicum nostrum confusum esse cum politico Melesiae filio, qui per totam vitam Periclis acerbissimus adversarius fuit. Sed et haec verba, quae fortasse ad disciplinam et institutionem Anaxagorae respiciunt, Krügerus removere studet. Ait ille (Leben des Thuk. p. 10. Anm.) „Gar keine Berücksichtigung verdient die Angabe des Scholiasten — Diese Liebe schloss man aus dem Lobe, das Thukydides dem Pericles zollt. Und aus diesem Lobe vermuthlich, dass beide Mitschüler gewesen!" Scilicet melius rem suam Krügerus gessisset, si protulisset vete-

res scriptores, qui Thucydidem nimiis laudibus efferre Periclis civitatis gubernandae rationem diserte affirmarent. Dubito quidem num exstent. Quamquam enim permulti Periclis gloriae obtrectant, unus scriptor eius regimen vituperat, nullus tamen Thucydidem Periclis studio captum de eo scripsisse perhibet.

8. Cicero in Bruto 11.: „Nam quem (Themistoclem) Thucydides qui et Atheniensis erat et summo loco natus, summusque vir et paullo aetate inferior tantum mortuum scripsit et in Attica clam humatum.“

Verum quidem est, quod Krügerus monet, Ciceronem ad annorum notationem firmandam parvam plerumque vim habere, cuius rei ille in testimonium attulit Quaestionum Tusculanarum L. I. 2. Sed utroque loco diversa Ciceronis sententia est, quum in altero rem musicam apud Graecos excultam fuisse probare enitatur non curans temporis rationem, altero Thucydidem de Themistoclis morte testem esse locupletissimum contendat, qua quidem in re grave fuit momentum in tempore definiendo, cui Cicero inprimis animum attendere debebat. Maior igitur nostri loci auctoritas.

Iam respicientes singula quae protulimus testimonia, profiteamur nulli, si solo niteremur, vim magnam inesse, multum vero inde valere, quod omnia cum Pamphila bene consentiant. Quum igitur testis testi fidem addat, necesse est gravissimae adsint causae si vulgata ratione relicta cum Krügero in Marcellini §. 34. acquiescamus. Ait enim ille de Thucydide: *παύσασθαι δὲ τὸν βίον ὑπὲρ τὰ πεντήκοντα ἔτη* (*λέγεται*). Quae verba secutus Krügerus Thucydidem Olymp. LXXXI. aut LXXX. natum esse statuit. Nam existimat Marcellinum rettulisse, quod apud plures scriptores eosque auctoritate praestantiores Pamphilâ invenisset, idque inde colligi posse, quod Marcellinus vocabulo *λέγεται* nitatur. Sed multum de illius opinionis fide detrahitur, si perpendimus duplici modo annum Thucydidis natalem his verbis in incerto relictum esse, quum et Marcellinus de Thucydidis aetate dubie loquatur, dicens eum ultra quinquaginta annos natum vita decessisse, et nos nesciamus, quo anno Thucydides supremum diem obie-

rit. Accedit ut Marcellinus eo, quod §. 29. de Thucydidis aetate rettulerat, sibi ipsi repugnet. Itaque quum Marcellini verba plerumque depravata emendatione fere ubique egeant, viri docti vocabula *πεντήκοντα ἔτη* vario modo mutanda esse censuerunt, Goellero corrigente *ἑξήκοντα*, Dodwellio *ὀγδοήκοντα*: scriptum enim fuisse antiquitus *π' ἔτη* e quibus iunior aliquis librarius fecerit *πεντήκοντα*. Vide Annales Thucydideos et Xenephonteos Oxonii 1702. 4. p. 27. Sectionem XXII. synopsis chronologicae vitae Thucydidis. Quam rem nos in medio relinquendam putamus. Assentior enim Goellero in prima Thuc. s. editione p. 9. contendenti audacius esse ad correctionem confugere, quamquam idem illo loco maiorem a Marcellino numerum positum fuisse putat, quoniam non facile dicat aliquis: „vixit supra quinquaginta annos"; quae sit solita hominum vitae longitudo. Sufficiat causam demonstravisse, qua ductus Krügerus Pamphilae ceterorumque scriptorum testimoniis neglectis Marcellinum sequeretur. Id enim egit, ut contra Bredovii, Popponis, Dahlmanni disputationes probaret Thucydidem puerum audivisse Herodotum historiam recitare. Quod fieri vix potuisse, si Thucydides circa annum 470. a. Chr. n. natus esset, vir doctus bene intellexit.

Emendanda:

pag. 10 v. 2 adde: vide etiam C. G. Cobeti prosopographiam Xenophonteam, Lugduni Batav. 1836. 4. p. 41. ann.
— 11 v. 18 adde: secundae §. 53.
— 17 v. 13 adde: post 38: et 40; post §. 36: 27. et 40.
— 18 v. 7 lege pro 32: 30.
— 20 v. 10 lege pro 51: 54.
— — v. 12 lege pro Asclepium: Asclepiadem. (cfr. Poppo II. 1. p. 68. et Goelleri V. I. p. 73.)
— — v. 20 lege pro vetus: verus.
— 28 v. 37 lege pro codice: codicibus.
— — v. 42 lege pro πτρς ct μτρς: πρς et μρς.

Reliqua typographi menda lector benevolus ipse tollet.

DE THUCYDIDE

SCRIPTORE

BELLI PELOPONNESIACI.

PARS II.

SCRIPSIT ET DEFENDIT

HENRICUS WUTTKE
DR. PHIL. M. L. A.

VRATISLAVIAE,
APUT M. FRIEDLAENDERUM.

DE THUCYDIDE
SCRIPTORE BELLI PELOPONNESIACI.

SPECIMEN

SCRIPSIT ET

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM

AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM LIPSIENSI

DIE V. IUNII A. DMCCCXXXXI.

ILLUSTRIS IURISCONSULTORUM ORDINIS CONCESSU

IN AUDITORIO IURIDICO

PUBLICE DEFENDET

HENRICUS WUTTKE

DR. PHIL. M. L. A.

LIPSIAE,

TYPIS FRIDERICI ANDRAEI.

Quum inter criticos constet, oportere eum qui auctorum fidem explorat, res gestas eius scriptoris, de quo agat, diligenter indagare, ego, qui de principe historicorum Graecorum scribere apud me constitui, et ita quidem ut et q u i d tradiderit et q u o m o d o, exponerem (id, quod pluribus verbis in praefatione speciminis I. de Thucydide p. 2 et 3. dixi), primum nihil antiquius habui, quam ut vitam Thucydidis explicarem. Et hic quidem est liber primus de Thucydide, quem totum composui; aggrediar deinde ad expendendum id, quod de rebus divinis humanisque senserit (Thukydides Weltanschauung), atque ad fidem narrationis examinandam (Kritik der Geschichtschreibung des Thukydides).

Egi igitur in illo specimine, quod a. 1838 Vratislaviae typis mandavi, de fontibus vitae Thucydidis p. 5—23, de origine Thucydidis p. 24—31, et de eius anno natali p. 32—45, quam dissertationem continuavi eo libello, quo proposito nunc ab amplissimo philosophorum universitatis litterarum Lipsiensis ordine ut doctoris philosophiae et magistri liberalium artium gradum ab alma Leopoldina in me collatum agnoscat et veniam docendae historiae benigne mihi det, peto. In quo de Thucydidis institutione puerili p. 5—11, de eius vita et privata p. 12—17, et publica p. 18—21, de expeditione anno 424 facta p. 22—34 de exsilio denique p. 35—43 disputavi.

Restat igitur ea pars libri, quae est de revocatione atque morte scriptoris, de corporis statura et liberis, cui accedit de tempore quo scripserit, de operis authentia, consilio et fatis quaestio.

Henricus Wuttke
Dr. phil. et Mag. l. a.

§. 4.

Urbs Athenae, Thucydidis aetate prae ceteris Graeciae civitatibus tantopere florebat opibus, potentia, splendore, ut Graeciae quasi caput esset. Etenim cives sermone utebantur tam exculto ac perpolito ut eum ceteri Graeci imitarentur, mores urbani suavesque erant, animus auctus rebus contra barbaros gestis ad altiora tendebat, ars poëtica in dies laetius vigebat, signis pulcherrimis statuisque Athenae magis magisque exornabantur. Favebant huic splendori libera civitatis conditio, crebrum cum coloniis commercium, frequens mercatura, affluentes denique sapientiae doctores. Unde magna nascebatur copia animum vario modo excolendi, summumque humanitatis apud Athenienses studium. Oblata autem hac opportunitate animum praeceptis institutisque philosophiae atque oratoriae artis erudiendi, quum inopes quoque et tenuiores Athenienses uterentur, Thucydidem, hominem summo loco ortum magnisque divitiis instructum, usum esse non

est, quod probem. Quod quum constet, tamen incertum, quorum institutioni puer traditus sit; varia enim eaque dubia narrantur atque ne eorum quidem, quae non abhorrere a vero videantur, possumus fidem confirmare [1]). Nam unum Anaxagoram Clazomenium philosophum illustrem (eundem illum, cuius impietas deos tollens Athenis vulgo diffamabatur), compertum habemus fuisse magistrum Thucydidis [2]), virum profecto egregium, qui excitaret pueri ingenium, mentemque acueret. Iam quantam ille noster disciplinam a c c e p e r i t, in medio relinquamus, quum qualem h a b u e r i t. certo sciamus. Enim vero historia quam de tempore suo conscripsit, animi altitudinem iure nostro metimur, eaque comprobatur ingenium quam maxime excultum. Etenim si ex rebus gestis animi constantiam moresque emendatos recte agnoscas, ex scriptis optime colligere possis, quid senserit de summis rebus, et quantopere vim iudicii excoluerit. Libros igitur a Thucydide conscriptos si respicimus, haud temere contendemus Thucydidem in excolendo ingenio tantum consequutum esse, quantum Graecis attingere concessum fuit. Neque exstitit, qui eum superaret.

Sed apud Graecos non pueri tantum adolescentesque salubri disciplina instituebantur, neque examine quodam feliciter superato finis imponebatur liberali studio, immo viri quoque gravitate atque auctoritate eximii doctissimorum hominum consuetudine diligenter utebantur, quo animum in diem magis erudirent. De Pericle Olympio hoc constat; neque de Thucydide est, quod dubitemus, quum Antiphontis Rhamnusii, viri

virtute et eloquentia pariter praestantis familiaris fuisse narretur [3]).

---

1) Varia quae de puerilis aetatis institutione traduntur, in examen vocantes, primum id in medium proferamus, quod Scholiastes et Aelius Aristides testantur Thucydidem simul cum Pericle doctorum virorum disciplina esse usum. Quod neque probari neque refutari potest. Ceterum disceptationem illam, quae exorta est de quaestione utrum Herodotus historiam suam universis Graecis publice recitaverit, recitantemque Thucydides admodum puer audiverit necne, quum de ea peculiari aliquo libello agere apud me constituerim, hoc loco silentio praetermittendam censui. —

Anaxagoram Clazomenium Thucydidis praeceptorem fuisse Antyllus retulit, rhetor et grammaticus (vide Marcell. §. 22.). — Docuit Anaxagoras Athenis philosophiam ab a. 456. a. Chr. n. (cfr. Diogenem Laert. II. 7. et Anaxagorae fragmenta a Schaubachio collecta, Lipsiae 1827. p. 15.) eiusque disciplina usos esse Periclem, Euripidem, Archelaum, Democritum, Empedoclem, Metrodorum, Socratem legimus. Petrus Camperus (in diatribe litteraria in Thucydidem et Ciceronis de eo sententiam, Trajecti ad Rhenum 1821. 8. p. 10 et 153.) Thucydidem philosopho illi iam ab ineunte adolescentia traditum fuisse et ex eius scholis consuetudinem quandam affectus mente regendi, severitatem omnino iudicii, non vero suavem et hilarem cogitandi rationem contraxisse contendit; itaque originem gravium illarum de rebus humanis sententiarum ab Anaxagora ducit. Philosophiae studio nostrum addictum fuisse ex indole orationum, quibus historiam suam amplificavit, collegit Heimannus de Thucydidis orationibus, Berolini 1833. cap. XVII. p. 35.

Aelius Aristides ὑπὲρ τῶν τεττάρων §. 131 Jebb.: καὶ οὗτος (Thucydides) ὁ μάρτυς, ὦ χρηστέ, τῶν Ἀντιφῶντος ἑταίρων ἐστί. Unde factum est ut quum plerique Thucydidem multa, quae ad artem oratoriam perti-

nerent, ab Antiphonte didicisse crederent, nonnulli tamen contenderent Antiphontem fuisse Thucydidis discipulum. Itaque Photius cod. 259.: *Καικίλιος δὲ Θουκυδίδου τοῦ συγγραφέως μαθητὴν γεγονέναι φησὶ τὸν ῥήτορα·* et scriptor libelli de decem oratoribus in vita Antiphontis: *Καικίλιος ἐν τῷ περὶ αὐτοῦ συντάγματι Θουκυδίδου τοῦ συγγραφέως μαθητὴν τεκμαίρεται γεγονέναι.* Iam quum haec scriptoris incerti verba cum eo, quod ex Caecilio Photius indicat, bene congruant, retinenda est vulgaris lectio *μαθητήν*, pro quo viri docti (quorum agmen ducit Taylorus) ex quibusdam codicibus *διδάσκαλον* scripserunt, quo sententia in contrarium mutata cum ceteris de hac re testimoniis (quibus maiorem fidem tribuamus, siquidem Antiphontem natum esse circa Olymp. LXXIII. statuimus) consentiens fieret, quae collecta invenies apud Goellerum ed. 2. Thuc. V. I. p. 13. ann. 1. Sed vim omnium illorum studuit infringere Krügerus libello: Untersuchungen über das Leben des Thukydides, p. 31—37. Primum enim inde quod Cicero in illo libro, qui est de claris oratoribus c. 12. non dixit Thucydidem discipulum fuisse Antiphontis, rem esse valde ambiguam, colligi posse Krügerus existimavit, quamquam satis bene constat Marcum Tullium Ciceronem rerum graecarum non tam fuisse gnarum, ut, si quam ille rem quamvis occasione oblata tacet, eam aliquo iure possimus negare. At audiamus ipsa Ciceronis verba: „Huic Antiphontem Rhamnusium similia quaedam habuisse conscripta: quo neminem umquam melius ullam oravisse capitis causam, quum se ipse defenderet se audiente(?!), locuples auctor scripsit Thucydides." Quae quidem verba eius, quum consideramus, qua causa expostulemus ut Cicero his verbis referens dixisse optime pro se Antiphontem, debuerit indicare, eundem Antiphontem olim fuisse praeceptorem Thucydidis? Sed Krügerus errorem per Caecilium Calactinum ortum esse vult: quod iam Gottlebero placuit, qui quoniam Thucydides Antiphontem magnis exornat laudibus (VIII. 68.) suspicatus est,

scriptorem fuisse oratoris discipulum (pergit enim scriptor de decem oratoribus *ἐξ ὧν ἐπαινεῖται παρ᾽ αὐτῷ ὁ Ἀντιφῶν*), et quae inde Caecilius coniecisset, pro certo tradidisse ceteros scriptores. Iam vero Caecilius Antiphontem Thucydidis sive discipulum sive magistrum fuisse (quod tradit scriptor incertus de decem oratoribus) ex laude a Thucydide illi tributa minime concludere potuit. Est igitur locus ille aliter interpretandus ita quidem, ut scriptor ignotus ipse addidisse putandus sit verba *ἐξ ὧν ἐπαινεῖται.* Accedit, quod praeter Caecilium Calactinum multi idem narraverunt, si fides habenda est Hermogeni *περὶ ἰδ.* II. p. 496. haec dicenti: *Θουκυδίδην Ἀντιφῶντος εἶναι τοῦ Ῥαμνουσίου μαθητὴν ἀκούω πολλῶν λεγόντων.* Contra Krügerus monet Caecilium Calactinum fuisse scriptorem satis levem: „Was bedurfte es anders, um die nichtige Vermuthung zur Thatsache zu machen, als dass ein Späterer blos angab: Caecilius sagt, dass Antiphon Lehrer des Thucydides gewesen sei. (Quod Photius fecit.) Wenn sich auf diese Weise die falsche Nachricht geltend gemacht hatte, so glaubten Spätere (scriptores Photio posteriores?) ohne Bedenken eine Angabe, die ihnen auf die Gewähr eines Caecilius überliefert wurde, da dieser, schon in Quinctilians Zeitalter nicht geringes Ansehn genoss; so ergiebt sich also, dass alle Zeugnisse (!), die den Thukydides zum Schüler des Antiphon machen, keine Zeugnisse sind.“

Quae si non refutavero, tamen levius disseruisse non videbor: coniectata sunt enim ista omnia. Et simili ratione p. 38. addubitat ille vir doctus, utrum Anaxagoras philosophus Thucydidis magister fuerit, necne, quoniam Marcellinus narret §. 22.: *ἤκουσε δὲ διδασκάλων Ἀναξαγόρου μὲν ἐν φιλοσόφοις, ὅθεν, φησὶν ὁ Ἄντυλλος, καὶ ἄθεος ἠρέμα ἐνομίσθη*: „Wohl möglich also, dass auch in dieser Nachricht eine aus dem Werke selbst gezogene Vermuthung zu einem Zeugnisse umgewandelt worden.“ Si quis vero tali ratione res indagari posse opinatur, is, modo velit, propter Marcellini verba §. 14.: *ἀπὸ τούτου*

οὖν κατάγεσθαί φασι τὸ Θουκυδίδου γένος καὶ μέγιστον τεκμήριον νομίζουσι τὴν πολλὴν περιουσίαν καὶ τὰ ἐπὶ Θρᾴκης κτήματα καὶ μέταλλα χρυσᾶ — — §. 15. παρέσχε δ᾽ ἡμῖν τὴν ἄλλως αὐτὸς ζήτησιν, μηδεμίαν μνήμην περὶ τοῦ γένους πεποιημένος jure suo etiam possit negare, Thucydidem cognatum fuisse Miltiadi.

Locum Menexeni c. 3. ἀλλὰ καὶ ὅστις ἐμοῦ κάκιον ἐπαιδεύθη, μουσικὴν μὲν ὑπὸ Λάμπρου παιδευθεὶς, ῥητορικὴν δὲ ὑπ᾽ Ἀντιφῶντος τοῦ Ῥαμνουσίου, ὅμως κἂν οὗτος οἷός τ᾽ εἴη Ἀθηναίους γε ἐν Ἀθηναίοις ἐπαινῶν εὐδοκιμεῖν· de Thucydide non esse accipiendum apparet, quem Lampri discipulum fuisse aliunde non constat. Pertinere ad eum nuper contendit Carolus Theaenus Schoenborn: Ueber das Verhältniss, in welchem Platons Menexenos zu dem Epitaphios des Lysias steht, de qua dissertatiuncula Krügerus haec iudicat: „Was Schoenborn für seine Ansicht geltend macht, beruht, soweit es scheinbar ist, auf Missdeutung.“ Plura de ea vide apud Krügerum, Historisch-philologische Studien. Berlin 1837. p. 224. seq.

Recentiores scriptores de institutione Thucydidis varia narrant: Ulricius, Charakteristik der antiken Historiographie 1833. p. 189. auctore haud nominato contendit: „Thukydides war angesteckt von den Lehren der Sophisten, deren Schüler er war.“ At ipse (lib. III. 38.) eos non exornat laude, immo carpit. Ogienskius, Pericles et Plato. 1838. p. 64. „Certo animus adolescentis non Socraticae philosophiae et genuinae civili disciplinae sed rhetoricae Protagorae et Gorgiae simili operam dabat — — praepostero hoc virilitatis ambitionisque studio flagrans quam primum in civitate Atheniensium honores petebat, eumque virum ut exemplar imitandum sibi proposuit, qui tum Athenis plurimum valebat. Periclem admirabatur, eius quam simillimum se fingere studebat.“ Quod commentum est et somnium, cui nunquam fidem faciet Ogienskius.

Nec Camperus, quem supra laudavimus, probabit id, quod dicit: „quo maxima quaeque et praestantissima

appeteret, miro ardore et sophistas audivit publice disserentes et Antiphontem omnium maxime est admiratus. Itaque biennio excubiis agendis in vicinis quibusdam locis exacto, summam eloquentiae operam navavit magnasque in ea fecit progressus."

Simili hi levitate historiam maculant, atque **Rapinius** qui in comparatione Livii et Thucydidis (quae anno 1677. conscripta legitur in: Oeuvres de Rapin, qui contiennent les comparaisons des grands hommes de l'antiquité. 2. edit. à la Haye 1725. V. I. p. 162—268.) p. 185. dicit: „Le commerce qu'il eut avec Socrate, Platon, Critias, Alcibiade, Pericles et tous les grands hommes de ce siècle-là acheva de le perfectionner et de lui remplir l'esprit de ces grandes idées et de ces principes etc."

Restat, ut de institutione Thucydidis Aphthonii verba, quae in Progymnasmatis rhetoricis leguntur, afferam: *καὶ τοιοῦτος φανεὶς τρέφεται μὲν πολιτείᾳ καὶ νόμοις, ἃ τῶν ἄλλων ἀμείνω πεφύκασι, καὶ πρὸς ὅπλα καὶ νόμους ἅμα ζῆν ἐγνωκὼς, φιλοσοφεῖν ὁ αὐτὸς καὶ στρατηγεῖν ἐβουλεύσατο, οὔτε τοὺς λὸγους ὅπλων ἀποστερῶν, οὔτε τὰς μάχας ἐν μέρει τιθείς, καὶ μίαν ποιεῖται μελέτην, ὧν μίαν οὐκ εἶχε τὴν τέχνην, εἰς ἓν συνάγων, ἃ τῇ φύσει διέστηκεν.*

§. 5.

Res familiares Thucydides multum auxit ducta in matrimonium femina Thressa ex Scapteshyla urbe Thasia, quae dives admodum possidebat metalla auraria in Thracia [1]). Unde factum est, ut Thucydidis auctoritas in hac regione apud incolas permultum valeret, quam ibi iam propeterea magnam fuisse quod eius maiores olim potentes ea in regione fuerint, haud temere statuamus. Iam quum ex Thracia stirpem uxoremque duxerit, haud dubie saepe multumque hac in terra versabatur.

Anno 430. aut 429. a. Chr. n. Thucydides Athenis pestilentia illa, quae tunc grassabatur, correptus est [2]).

---

1) Metalla auraria Thucydides iam possidebat a. 424. a. Chr. n. quum esset dux classis. Ait enim ipse IV. 105.: *Βρασίδας — πυνθανόμενος — τὸν Θουκυδίδην κτῆσίν τε ἔχειν τῶν χρυσείων μετάλλων ἐργασίας ἐν τῇ περὶ ταῦτα Θρᾴκῃ καὶ ἀπ' αὐτοῦ δύνασθαι ἐν τοῖς πρώτοις τῶν ἠπειρωτῶν.* Dotis nomine fodinas accepit et quidem (ut videtur) ante bellum Peloponnesiacum exortum, de quo Marcellinus, qui rerum ordinem servat (cfr. Popponis Prolegom. V. I. p. 26. Goelleri V. I. p. 19.) §. 20. demum loquitur hisce

verbis: *ἠγάγετο δὲ γυναῖκα ἀπὸ Σκαπτῆς ὕλης τῆς Θρᾴκης* (quippe in quotidiano sermonis usu Thasus negligenter appellabatur terra Thracia, cfr. Plutarchi vit. Cimonis. c. 4. *Σκαπτὴ ὕλη — τοῦτο δ' ἔστι τῆς Θρᾴκης χωρίον,*) *πλουσίαν σφόδρα καὶ μέταλλα κεκτημένην ἐν τῇ Θρᾴκῃ·* quae verba, quum in prima nostri Marcellini parte legantur, fide sunt digna. Boeckhius in libro, qui inscribitur Staatshaushalt der Athener V. I. p. 335. de hac re dicit: „Am wahrscheinlichsten ist, dass Thukydides mit einer Einwohnerin von Scapte Hyle, deren Vorfahren vielleicht längst im Besitze waren, sie angeheirathet hatte." Contra Krügerus in libello: Leben des Thukydides p. 41. incertum esse dicit, num maiores uxoris Thucydidis iam pridem in possessione fuerint. At, si Thucydidis metallorum fodinas dotem accepit, habebat uxor eas a maioribus acceptas, nam femina auraria vix quaesivisset ipsa. Sed rem totam Krügerus his verbis negat: „Denn als die Thasier sich genöthigt sahen, die Bergwerke bei Scapteshyle den Athenern abzutreten, werden diese gewiss die Rechte einzelner nicht geschont, sondern das Ganze als Eigenthum des Staates in Anspruch genommen haben." Sed certe Athenienses devictis Thasiis (Thuc. I. 101.), iura privatorum hominum circa metalla aliqua certe ex parte respicientes non omnibus ademerunt omnia; deinde suspicemur feminae maiores, de quibus agimus, ab Atheniensium partibus stetisse aut forsan hospites sive amicos publicos (*προξένους*) fuisse, ob eamque rem iura servavisse, aut propter favorem aliquorum nobilium Atheniensium obtinuisse, ut metallis cedere non cogerentur. Utut est, hoc uno argumento Marcellini verba non refelluntur. Nonnulli viri docti, qui ad ipsa Thucydidis verba, se habuisse *κτῆσιν ἐργασίας* provocant, metalla a republica in perpetuum locata tantum fuisse statuunt (ex nostri temporis sermone „in Erbpacht gegeben").

Iam vero sunt, qui Thucydidem hanc possessionem heredidatis iure accepisse tradant. Quae quidem

opinio inde, quod Thucydides Cimoniae gentis agnatus fuit et quodammodo originem ex Thracia duxit, orta videtur. Quum enim maiores vixerint in Thracia, possessiones ibi sitas ab maioribus ei relictas esse existimant. In quibus sunt Plutarchus in vita Cimonis c. 4.: *διὸ καὶ Θουκυδίδης ὁ ἱστορικὸς τοῖς περὶ Κίμωνα κατὰ γένος προςήκων Ὀλόρου τε πατρὸς ἦν εἰς τὸν προγόνον ἀναφέροντος τὴν ὁμωνυμίαν καὶ τὰ χρυσεῖα περὶ τὴν Θρᾴκην ἐκέκτητο.* Marcellinus §. 14.: *ἀπὸ τούτου* (a Miltiade) *οὖν κατάγεσθαί φασι τὸ Θουκυδίδου γένος καὶ μέγιστον τεκμήριον νομίζουσι τὴν πολλὴν περιουσίαν καὶ τὰ ἐπὶ Θρᾴκης κτήματα καὶ μέταλλα χρυσᾶ.* Sed argumenta rerum non tam numeranda sunt, quam expendenda. Animadvertas igitur quaeso Marcellinum, §. 19. aliter dicentem, nostro loco non suam sed aliorum sententiam protulisse, quae quomodo oriri potuerit, apertum est. Contra vero vix potest intelligi, quo modo scriptores inducti potuissent statuere, metalla Thucydidi obtigisse dotis nomine, nisi veteres auctores id indicavissent. Atque etiam hoc diligenter tenendum est, Thucydidem haud dubie etiam sine uxoris opibus divitem ipsum fuisse, multaque nondum adjuncta sibi uxore possedisse in Thracia (respicias eadem Marcellini verba *καὶ τὰ ἐπὶ Θρᾴκης κτήματα καί μέταλλα χρυσᾶ*). Tum ita possint conciliari Plutarchi verba cum Marcellino, ut duplici modo, quae Thucydides in Thracia habuerit, acquisita fuerint, partim dotis nomine, partim hereditatis iure.

Iam illos quoque, qui metallorum heredem Thucydidem fuisse arbitrantur, Krügerus, Leben des Thukydides p. 41. impugnat et his duabus opinionibus, quae testimoniis certis fulciuntur, reiectis novam eamque auctoritate destitutam protulit, statuens Cimonem, qui regionem illam in Atheniensium potestatem redegit, occasione lucri acquirendi opportune oblata bene usum partem metallorum ad propinquos contulisse. En levi ex coniectura gravem Cimonis criminationem, eamque sine necessitate, sine teste! Cimo-

nem enim possessionibus bonisque Miltiadis patris liberatis Persarum imperio quam maxime divitem esse factum constat. Atque ut non constet, nonne peculiatus flagitium Cimonis adversarii ei opproprio criminique vertissent? Nefas omnino est hominis nomen diffamare et sine argumentis testibusque vana coniiciendi libidine mores eius accusare tam graviter.

Ac Scapteshyle quidem coelo gravi fuisse perhibetur. Dicit enim Lucretius in carmine de rerum natura L. VI. v. 809. sq.:

> Denique, ubi argenti venas aurique sequuntur,
> Terrai penitus scrutantes abdita ferro,
> Qualeis exspiret Scaptensula subter odores,
> Quidve mali fit, ut exhalent aurata metalla? et q. s.

Itaque corriguntur, quae olim Ioannes Casselius dixit, Scapteshylam fuisse locum amoenum et salubrem, in *προλεγομένοις* in Thucydidis interpretationem editis Rostochii 1576. p. XLII.

2) Se pestilentia esse correptum ipse indicat describens illam in libro II. c. 48.: *ταῦτα δηλώσας αὐτός τε νοσήσας καὶ αὐτὸς ἰδὼν ἄλλους πάσχοντας.* Quaeras fortasse, quum omnes urbis incolae duro animo aegrotorum incuriosi (morbus enim contactu in alios transibat) a contagio maxima cum cura sibi caverent, utrum illi *ἄλλοι* morbo correpti, quos Thucydides se observasse dicit, amici propinquive Thucydidis fuerint, quorum valetudini serviens contagio morbi infectus sit, an accesserit ad aegrotos, ut exquireret naturam morbi, postquam ipse convaluerat? Sed huiuscemodi quaestiones, quamquam ultra se offerunt animo, quia testimonia desunt, solvi non possunt, nisi ab hominibus illis leviter vagantibus per vastam regionem coniecturarum, neque sunt eae magni momenti. Num in Thucydidem cadat, quod ait II. 51. *Ἐπὶ πλέον δὲ ὅμως οἱ διαπεφευγότες τόν τε θνήσκοντα καὶ τὸν πονούμενον ᾠκτίζοντο διὰ τὸ προειδέναι τε καὶ αὐτοὶ ἤδη ἐν τῷ θαρσαλέῳ εἶναι* nescimus, sed haud dubie de eo id valet, quod de exultanti

convalescentium gaudio ipse narrat: *καὶ ἐμακαρίζοντό τε ὑπὸ τῶν ἄλλων καὶ αὐτοὶ τῷ παραχρῆμα περιχαρεῖ, καὶ ἐς τὸν ἔπειτα χρόνον ἐλπίδος τι εἶχον κούφης, μηδ' ἂν ὑπ' ἄλλου νοσήματός ποτε ἔτι διαφθαρῆναι.* De hac pestilentia, quae non Athenis solis verum etiam in aliis Graeciae atque Italiae oppidis celebribus (veluti Romae v. Livii l. IV. c. 30.) grassabatur et quae bestias quoque avesque rapaces confecit (Thuc. II. 50.) vide Popponis Commentarios in Thucydidem (V. II. 1834. p. 245—256.) quibus pauca addamus. Iam initio saeculi septimi decimi medicis tam notabilis videbatur, ut de ea Venetiis in gymnasio ad Divi Marci Bibliothecam haberentur a Fabio Paulino Utinensi scholae (v. Praelectiones sive Commentarios in Thucydidis historiam, sive narrationem de peste Atheniensium ex ore Fabii Paulini, Venetiis apud Iuntas 1603. 4.). Varie morbum intellexerunt medici. Sunt, qui credant, fuisse typhum bellicum (ansteckendes Lazareth- und Lagerfieber) exortum aëre propter bellum et nimiam hominum in urbe degentium frequentiam depravato, inopia rerum, vitaque dissoluta. Quae opinio profecto est reiicienda quum morbus migraverit ex regionibus, in quibus bellum non gereretur (Thuc. II. 48.), tum quod scriptor noster carbunculos (c. II. 49. *φλυκταῖναι μικραὶ καὶ ἕλκη*) commemorat. A. Krauss, Med. Doct. in disquisitione de natura morbi Atheniensium a Thucydide descripti (Stuttgardiae 1831.) novum quoddam pestilentiae genus fuisse contendit quod appellat febrem aethiopicam putridam sive typhum pustulosum. Quod probavit Cl. Hecker. Sachs et Krause (Ueber das Alter der Menschenpocken) variolas veras esse dicit, Malfatti (in Hufeland's Journal der praktischen Heilkunde XII. 120.) scalatinas, morbillos, Webster et Smith febrem flavam sive pestilentiam occidentalem; pestilentiam nostram vulgarem esse docuit, qui Rostochii 1829. de peste Atheniensium scripsit, H. Grimm. Wawruch et Ochs (artis medicae principes de curanda febre typhode, Lipsiae 1830.) petechialem typhum, Wei-

kard (medizinische Fragmente p. 35.) vulgaribus sententiis decedens morbum epidemicum syphiliticum fuisse iudicat. K. Sprengel denique (in: Bemerkungen zu Batemans Hautkrankheiten) et H. Häser (historisch-pathologische Untersuchungen, Dresd. et Lipsiae. 1839.) pestilentiam vulgarem orientalem esse contendit. Is T. I. p. 35. eam ita describit: eine Krankheitsform, die zu einer Zeit auftritt, in welcher der gesammte Lebensprozess der europaeischen Menschheit noch nicht fähig geworden ist, die volle Eigenthümlichkeit der Bubonenpest, welche auf der Höhe ihres universellen Verlaufes in dieser Zeit noch nicht angelangt ist (quae seculo VI. nostrae aetatis demum reperitur) in sich zu reproduciren: quam appellat: eine zu ihrer vollen Eigenthümlichkeit noch nicht entwickelte embryonische Bubonenpest. Rarus fortasse libellus, quem G. Nowackii liberalitate possidemus: Josephi Eyerel, Dr. et Prof., Thucidides (sic) von der Pest in Athen, aus dem Griechischen übersetzt mit Zusätzen und Anmerkungen und mit einem Anhang über die Pest in Egypten während den französischen Feldzügen von Paul Assalini, Vindobonae 1810. 8. pestilentiam, quae a. 543. p. Ch. n. per orbem Romanum grassabatur, illi similem ex Procopio affert.

§. 6.

Thucydides summos magistratus neque ambivisse videtur, neque potentiam apud cives captavisse, quamquam eum a republica administranda plane recessisse [1]) haud credibile est, quum esset inter opulentissimos cives, qui iam ex vetusta consuetudine atque ex reipublicae ratione rerum participes erant, tum quod ipse Periclem gubernatorem Atheniensium in praeclarissima illa apud cives habita oratione in hunc modum dicentem (L. II. 40.) inducit: *Μόνοι γὰρ τόν τε μηδὲν τῶνδε (τῶν πολιτικῶν) μετέχοντα, οὐκ ἀπράγμονα, ἀλλ' ἀχρεῖον νομίζομεν.* Inter quos perditos cives Thucydides vix voluerit se ipsum quoque censeri. Atque peritiam illam rerum publicarum permagnam, quam in historia a Thucydide conscripta ubivis agnoscimus, procul dubio, nisi curam reipublicae adhibuisset, sibi non comparavisset. Iam refert Dionysius Halicarnassensis Thucydidem publicis muneribus illis functum esse, qui usitati honores habebantur: quae eius verba si sunt pro veris accipienda [2]), certe ex iis nobis non licet colligere Thucydidem fuisse *γνώριμον ἄνδρα* (quippe quod aperte

negatur); etenim plerique apud Athenienses magistratus sortiti sunt, mero casu designante archontes, undecimviros, astynomos, agoranomos, logistas, alios.

Postea bello peloponnesiaco exorto ad res bellicas accessit et electus est a. 424. a. Ch. n. imperator, qui honos *χειροτονητός* fuit. Eumque iam ante hunc octavum belli annum rebus gerendis pugnantem interfuisse, non sine aliqua veri specie statuerimus, praesertim si forte huic suspicioni faveant verba, quae (I. 22.) de rebus belli fecit: *οἷς τε αὐτὸς παρῆν* [3]).

Neque particeps solum rerum gerendarum ipse fuit, sed animum quoque ad hoc bellum ex omni parte accuratissime cognoscendum attendit: namque ab initio, exorto statim bello, quum summum fore iudicasset, decreverat eius historiam conscribere. Per totum igitur bellum res, quae agebantur, pugnarum casus, orationes habitas, ducum denique mores civitatumque indolem magna cum cura atque diligentia, ut opus suum praepararet, observavit.

---

1) Marcellinus §. 23. *οὐκ ἐπολιτεύσατο δὲ ὁ συγγραφεὺς γενόμενος ἐν ἡλικίᾳ, οὐδὲ προςῆλθε τῷ βήματι.* Iam sunt, qui cur a republica gerenda recesserit, divinent, veluti Hobbesius, qui (in interpretatione Thucydidis anglica, Londini 1634.) eum singularis imperii admiratorem tum aurae popularis inconstantiam atque mobilitatem tum plebis voluntati ne obnoxius fieret metuisse existimat: in quo ingenium Hobbesianum facile agnoscas; et Levesquius (in interpretatione Thucydidis francogallica, Lutetiae Parisiorum 1795.) qui (V. I. p. IX.) scribit: Il ne se livra point aux affaires publiques et ne se montra ni sur la place ni dans

les tribunaux. La vanité de briller d'un eclat ephémère dans les assemblées était au-dessous de sa grande âme, cum quo Neophytus Duca (*Θουκυδίδου βίβλια μεταφρασθέντα, σχολιασθέντα τε καὶ ἐκδοθέντα ἐν Βιέννῃ* 1805.) consentit: *ἅτε δὴ τὸ ἐν βήματι ἐκ τῶν λόγων κροτεῖσθαι ἐφήμερον ἀγαλλίαμα δεύτερον τῆς φιλοσόφου τιθέμενος ἡσυχίας.* Sed hi et omnes, qui consentiunt, quae reipublicae vera esset indoles nescientes, oratores a rostris declamasse magis, quam ut civium utilitati consulerent enisos esse existimasse videntur. — Aderat haud dubie Thucydides, quum Pericles orationem illam funebrem haberet. Cfr. Kutzen: Perikles als Staatsmann, während der gefahrvollsten Zeit seines Wirkens. Breslau 1834. Beilage I. §. 11. p. 153 sq.

2) Vide Dionysium p. 770. Krügerus negat, Leben des Thuk. p. 43 sq. „Denn da er den Thukydides als undankbar gegen die Athener darstellen will, so konnte er, dem überhaupt die Wahrheit nicht sehr heilig ist, leicht sich verleiten lassen, was er etwa glauben mochte, als Thatsache auszusprechen, wenn nicht vielleicht auch er durch eine Verwechselung des Geschichtsschreibers mit dem Sohne des Milesias zu einer ungenauen Angabe verführt ist." Sed quae verba ex Suida laudavit, ea ne minimo quidem iure attulit. Dicit enim Suidas (quod ex Marcellino hausit, vide nostri libelli §. 1. p. 14.) de Thucydide: *ην πολὺς ἀκριβείᾳ πραγμάτων καὶ στρατηγίαις, καὶ συμβουλίαις καὶ πανηγυρικαῖς ὑποθέσεσιν*, quae ut de historia Thucydidis dicta, de orationibus illi insertis et de descriptionibus certaminum accipienda sunt. Sed Dionysius quum dicit *οὐ τῶν ἀπεῤῥιμένων ὄντα, ἀλλ' ὧν ἐν πρώτοις ἦγον Ἀθηναῖοι [στρατηγιῶν τε καὶ τῶν ἄλλων τιμῶν ἀξιοῦντες]*, quodammodo discrepat cum Scholiis ad Aristophanis Vespas v. 941.: *ὃς οὐδὲ πάντῃ γνώριμος ἐγένετο.* Vix vero multum tribues Ciceroni (de oratore l. II. c. 13. §. 56.) dicenti: „Atqui ne hunc quidem quamquam est in republica versatus ex numero accepimus eorum, qui caussas dictitarunt." — Cfr. nostrae disputationis §. 1. p. 9.

3) Cfr. Dionys. Halic. p. 770. — Cicero de claris oratoribus c. 11. hac de re probata laudatus silentium obtinuit.

Sed vide Scholia ad verba Thucydidis, quae commemoravimus: *ἐστρατήγει γὰρ καὶ αὐτὸς ἕως τῆς τετάρτης ἱστορίας*. Quid vero antea in bello egerit et quibus rebus gestis interfuerit ex historia ab ipso conscripta nullo modo potest intelligi. Nam etsi copia atque diligentia exponendi interdum te commoveat ut suspiceris, rerum a se descriptarum ipsum scriptorem haud expertem fuisse: inanis tamen haec est opinio caretque ratione idonea. Quapropter ne tali specie decepti aliquid proferamus, cavimus diligenter. Etenim si verbi causa descriptionem accuratissimam et singularum multarum rerum narratione conspicuam consideras (illam puta, qua refertur quo modo Demosthenes pugnaverit contra Ambraciotas) caussa adest, cur scriptorem non fuisse cum Demosthene statuamus; vide III. 113. fin.

---

§. 7.

Athenienses belli tempore potentissimos quosque, si modo idonei haberentur, iis terris in quibus opibus pollebant valebantque auctoritate, imperatores praeponere solebant, quo maius inde oriretur rebus gerendis auxilium sibique certior esset spes eventus. Itaque Thucydidem Olymp. LXXXIX. 1. anno 424. a. Ch. n. rebus Thraciis [1]) classique, quae tum prope Thasum insulam stationem habebat, praefecerunt, ut imperio Atheniensium oras finitimas servaret, quarum cura res fuit summi momenti. Duplex enim caussa maxime adhortari videbatur, ut tenerent illas terras subditasque tuerentur. Nam Atheniensium vis roburque non terra Attica ipsa constabat, sed continebatur coloniis, subditis urbibus sociisque, per quos longe lateque dominabantur; frequenti insuper cum illis commercio augebantur et spes singuli cuiusque civis et aeraria reipublicae. Hos igitur socios ne amitterent,

diligentissime cavebant. Sed quum vel ea caussa vehementissime admonére videretur, ut oppida, quae in Thracia atque Macedonia sita erant, conservarent, gravior tamen accessit. Attica enim frequentissimo hominum conventu nimis impleta incolis fuit, celeberrima urbs Athenae. Id quod effecit, ut fruges, quae colebantur in Attica, non sufficerent ad victum cultumque hominum sustentandum; quá propter permultum frumenti (et tamen Athenis, si ceteram Graeciam respicis, annonae caritas semper fuit) ex coloniis atque ex terra sociorum, maxime vero ex Thracia et Byzanto Athenas adportabatur. Atqui Athenienses, quum bello exercitus Peloponnesiorum crebro in Atticam irrumperent proximique Thebani infestissimi sibi essent, haud raro inhibiti sunt, quominus finitimam terram adeuntes commercio ex illa quae sibi necessaria essent transportarent. Spes sola in mercatura, quae per mare exercebatur, fuit; itaque, si impediti essent frumento ex Thracia superiori advehendo, gravissimum periculum metuendum erat; nam tum rei frumentariae inopia fameque pressos se hostibus resistere vix posse intelligebant. Atque illo quidem tempore Athenienses, devictis Corinthiorum et Peloponnesiorum classibus, mari dominabantur: cavendum igitur hoc potissimum iis erat, ne terrestri via per Thessaliam et Macedoniam exercitus Lacedaemoniorum ad illas, quas diximus, terras pervenirent, easque in ditionem suam redigerent. Verum enim vero propter indolem terrae u n u m tantum iter in Thraciam ferebat, quippe Strymon fluvius 2) Macedoniam secabat, quem ponte iniecto

apud Amphipolin urbem [3]) transire licebat, alibi et montibus et paludibus obstantibus [4]). Cuius regionis opportunitas Atheniensium animos iam multis annis ante maxime incitaverat, expeditiones ut eo mitterent et capta Eïone, emporio prope mare ad sinistram Strymonis ripam sito, colonias in interiorem Thraciae regionem deducere conarentur: quod tamen demum anno 437. bene iis successit. Iam Amphipolim oppidum diligenter custodiebant, quod, sicuti diximus, viam in Thraciam fere clauderet. Itaque anno 424., quo Thucydides in Thracia navalibus ceterisque rebus praefectus est, Eucles, qui simul cum Thucydide *στρατηγός* erat, Amphipolim oppidum gubernavit *φύλαξ τοῦ χωρίου.*

Sed eo tempore (Olymp. LXXXIX.) Brasidas dux Spartanorum fortissimus locum, ubi bellum gereretur, mutare coepit [5]). Is, expeditione magna in regione illa, quae iacebat inter Corinthum et Sicyonem, caute adparata [6]) transiit Thessaliam cum exercitu, intravitque primum Macedoniam ad ea oppida expugnanda, quae in Chalcidice sita erant. Res condicta erat cum Perdicca Macedoniorum rege, Atheniensium imperium metuente [7]), prospereque successit superatis a Brasida haud parvis in itinere difficultatibus et adiuvantibus eum Chalcidensibus permultis, qui ab Atheniensibus deficere cuperent. Quo rerum eventu excitatus Brasidas ex Arne urbe festinato agmine accessit ad Amphipolim, cuius incolarum pars, veteris Argili olim cives, commota suo et Perdiccae studio se Lacedaemoniis auxilio fore pollicita erat. Argilenses ipsi,

Atheniensibus semper infesti, Brasidam in oppidum suum, quod non multum a Strymone flumine distabat, receperunt eiusque exercitum eadem illa nocte, qua venerat, ad pontem duxere, qui iniectus fuerat Strymoni, ad quem Brasidas priusquam dies illuxerat, pervenit. Erat eo tempore ante pontem, quo amnis iungebatur, castellum parvum, sive custodia [8]). Sed Amphipolitani, qui ibi stationem agebant, improvidi tumultus adventu Lacedaemoniorum repentino oppressi sunt. Ingens enim nix impediverat, quominus nuntium de Brasidae agmine acciperent et frangebatur vis resistentium fraude proditorum. Itaque Brasidas capto ponte exercitum trans Strymonem duxit atque omnia, quae ante moenia Amphipolis erant, celeriter occupavit, dum Amphipolitani quicunque possunt ex agro in oppidum confugiunt. In urbe ipsa perturbatio maxima, trepidusque terror, sed brevi et Athenienses, qui aderant, et qui iis favebant (maior pars incolarum erat) armis captis, ne statim a proditoribus aperirentur Spartanis portae urbis, impediverunt. Interim distrahebatur diripiendo atque praedando miles Brasidae, isque castris ante urbem positis tempus perdidit, exspectans, quid illi facturi essent, quibuscum conspiraverat. Sed iam Atheniensium factio in urbe superior evaserat et auctore Eucle imperatore ad Thucydidem miserat, qui auxilium adferret; quae res, nuntiata Brasidae, animo eius terrorem iniecit haud parvum, scilicet ne Thucydidis adventu turba Amphipolitanorum mobilis spe auxilii incitaretur in Lacedaemonios neve accideret ut illius viri gratia Thracum exercitus conveniret,

quo Amphipolis rursus liberaretur. Qua de caussa urbe quam celerrime potiri decrevit lenissimis conditionibus urbis tradendae propositis hisce: ut qui vellet manere in urbe remaneret, qui nollet, intra spatium quinque dierum emigraret portaretque sua secum omnia. Quae conditiones animum multitudinis in contrarium immutaverunt, quum pauci tantum commorarentur in urbe cives Attici generis iique perturbatione pavidi essent, maximae vero parti incolarum, quae mixta erat origine, melius visum est acceptis conditionibus cedere, quam incerta auxilii spe summum experiri pesiculum. Porro amici Spartanorum, quorum numerum haud parvum fuisse quum Amphipolitani res publicas non ex suo, sed ex Atheniensium arbitrio instituere antehac coacti essent, verosimile est, summo opere id agebant, ut urbs propere traderetur in ditionem hostium. Frustra contra enixus est Eucles, trepidante multitudine nec eius voces excipiente nec consiliis obtemperante. Tradita urbs est Brasidae.

Interim nova rerum facies. Thucydides, qui tunc apud Thasum [9]) erat, accepto periculi nuntio septem navibus quas forte habebat quam velocissime in Strymonem tendit, ut Amphipoli priusquam traderetur praesidium collocaret regionemque tueretur. Quod si non posset, Eïonem tamen custodire statuit. Sed quum sero, vespertino tempore, ad Eïonem pervenisset, Brasidas eadem illa die Amphipolim occupaverat et iam moliebatur Eïonem quoque expugnare. Quod quominus fieret Thucydides prohibuit. Is statim quaecunque ad

servandum oppidum et in periculum imminens et in futurum tempus prodesse possent, diligentissime apparavit excepitque eos, qui secundum conventum cum Brasida factum Amphipolim ipsam agrumque reliquerant.

Dum haec Thucydides agit, Brasidas velocissime cum multis navigiis flumine secundo Strymonem devexit ut Eïonem quoque praeoccuparet. Repente igitur quum veniret urbem capturus, utpote dux prudentissimus, omnia bene disposuit. Dum enim illud terrae porrectae spatium, quod interiectum inter fluminis ostium atque urbis murum erat, obsidere studet, ab altera parte urbem ipsam vi ingreditur. Sed utroque loco repulsus urbe potiri non valuit. Tum Brasidas re desperata ab oppugnatione destitit, omniaque ad conservandam tantum Amphipolim instituit cuius urbis recuperandae Thucydides periculum non fecit. At mox Perdiccas rex Brasidam victorem visitavit, cuius res interea ubique prospere processerunt. Multae enim urbes, quae dominationi Atheniensium subditae erant, ab iis, quos devictos esse putarent, desciverunt, liberam conditionem se nacturos esse credentes. Vi nonnulla oppida Brasidas cepit et, quamquam omnibus liberam civitatem se redditurum esse velleque ut omnis civitas, quae secum faceret, sui iuris esset, solemni modo iuraverat, Amphipoli urbi Clearidam Spartanum praeposuit. Idem ceteris urbibus accidit. Ita hoc et sequenti anno in Chalcidice et in Thracia inferiori Spartani victores evaserunt.

Quarum rerum nuntius quum Atheniensibus afferretur, tristitia omnium animos adfecit. Amissa enim Amphipoli et sociis et opibus destituti sunt proditorumque perfidae menti stimulus insuper addebatur metuendus, quum et sociorum inconstans multitudo in deteriorem partem versa esset. Via porro in superiorem terram hostibus iam patefacta erat. Permagnum profecto acceperant detrimentum!

Tunc vero Athenis Cleon cerbo maxime polluit. Acer homo summo vigore ac fervore intentis omnibus civitatis nervis bellum [10]) geri voluit populusque ei assensus est victoriarum quoquo modo comparandarum cupidus. Eos igitur viros, quorum culpa iacturam acceperat, punivit severe, ita ut damnaret eos etiam imperatores, qui pugnaverant fortuna adversa [11]), in quo plerumque aliquid damni negligentiae ducis crimini verti potest [12]). Quae gerendarum rerum militarium ratio, spectata illa reipublicae francogallicae gloriosissima aetate, quae ante nostros fere oculos versabatur, imperatorum animos vehementissime excitat, ut in superandis periculis omnia, quaecunque possint, strenue gnaviterque conentur, scilicet ne desidiae aut ignaviae (quae civitati proditionis loco est) opprobrium nomini famaeque suae contrahant. Nimirum plebs in malo rerum eventu semper proditorem odoratur, nisi est perspicua summa virium contentio.

Quae quum ita sese haberent Thucydides quoque propter Amphipolim amissam, quam tueri de-

bebat, in exilium eiectus est[13]) et omnino ex illo tempore Athenienses suspicione infidelitatis commoti ad condemnandos eos Thraces, qui accusarentur proditionis, inclinatiores fuerunt [14]).

---

1) Thucyd. IV. 104.: *ἐπὶ τὸν ἕτερον στρατηγὸν τὸν ἐπὶ Θρᾴκης, Θουκυδίδην.* Duo igitur duces his regionibus praefecti erant, quorum alter (*ἕτερος στρατηγὸς*). Eucles quidam fuit, a Thucydide paulo ante commemoratus.

2) Qui nunc Struma sive Carasu nominatur. Totam hanc regionem, qualis nunc est, descripit Cousinéry in libro eruditionis pleno: voyage dans la Macédonie. Idem eam ligna navibus acdificandis maxime utilia large praebere tradit.

3) Olim *Ἐννέα ὁδοί*: ruinis et vico parvo, qui ibi est, nunc nomen est Emboli sive Iamboli.

4) Thucyd. IV. 108.

5) Thucyd. IV. 80.

6) Thucyd. IV. 70.

7) Thucyd. IV. 79. cfr. 82. 103. Macedoniae regem tum id egisse ut suum imperium remota metuenda Atheniensium dominatione usqne ad mare proferret, tum etiam quanti momenti esset urbs Amphipolis, bene intellexisse, constat.

8) *Φυλακὴ δέ τις βραχεῖα καθειστήκει,* Thucyd. IV. 103.

9) Thucyd. IV. 86. 87. 88. 132.

10) Cf. verbi causa Thucyd. III. c. 36—40. Ac de Cleone quidem, quoniam eius mentionem feci, cave ne sequaris disputationem

splendido sermone compositam atque a multis laudatam viri eximii Friderici Kortümii iniquissime ea in re iudicantis, quae legitur in: Philologische Beiträge aus der Schweiz 1819. p. 35—68. Iis vero, quae de Cleone I. Gustavus Droysenius (des Aristophanes Werke übersetzt, 1837. V. II. p. 282—307.) disseruit, ex omni parte assentior, quamquam in eo errat, quod ruinam Atheniensium arbitratus est instituto regio imperio potuisse averti.

11) Quapropter iam antea a. 426 Demosthenes dux fortis et prudens vir post illam expeditionem in Aetolos, quae secus ceciderat, poenae metu commotus Athenas redire non est ausus. Thuc. III. 98.

Henr. Dodwellus in libro qui est de veteribus Graecorum Romanorumque cyclis ed. Oxonii 1701. 4. p. 742. in testimoniis additis ad Meursii libros de Archontibus, fragmentum quod agit de expeditionibus Atheniensium in Chersonesum Thracicam propter Amphipolim condendam institutis, edidit. In quo haec verba leguntur: *τρίτον δὲ μετὰ Εὐκλεοῦς καὶ Θουκυδίδου, τέταρτον δὲ μετὰ Κλέωνος ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀλκαίου. κ. τ. λ.*: Scholiastes vetus in Aeschinis verba *Ἐννέα Ὁδῶν* (ex oratione *περὶ παραπρεσβείας*) e codice Edvardi Bernardi Prof. Oxoniensis. „Is olim fuerat Iosephi Scaligeri, qui sua manu haec aliaque ad oram Codicis excussi descripserat.“ Scholia laude magna exornat Dodwellus, sed ipse dolet Scaligerum fontem, unde Scholia habuerit, non indicavisse. An ille ipse composuerit, quae in codice adnotata legit Bernardus? Utut est, his verbis Radulphus Rochettus Histoire critique de l'etablissement des colonies grecques T. IV. expeditionem aliquam Thucydidis filii Melesiae Periclis aemuli indicatam esse existimat, quemadmodum p. 32. 33. dicit: „Et je suis surpris quelque jugement qu'on en doive porter que l'idée

de ce rapprochement ne soit pas venue au savant Dodwell, qui avait tous les textes sous les yeux.“ Nos vero miraremur si doctus vir Dodwellus istum fuisse adversarium Periclis esset suspicatus; Radulphum Rochettum (quamquam quod ad Cleonis expeditionem attinet p. 11. recte iudicantem) potius errasse, quum Scholiastes loquatur de Thucydide nostro et de rebus a. 424. a. Ch. n. gestis, bene animadvertit Kutzenius in eo libello, qui est de Atheniensium imperio Cimonis atque Periclis tempore ad Strymonem fluvium constituto p. 17. Nimirum confundit Scholiastes consilia coloniae condendae cum expeditionibus militaribus in auxilium Amphipolis institutis, qualis fuit Thucydidis a. 424. Talis enim Cleonis quoque expeditio.

12) Egregie laudat Krügerus (Leben des Thuk. p. 46.) verba Demosthenis Lept. 79. p. 481. *μίαν μὲν πόλιν εἰ ἀπώλεσεν ἢ ναῦς δέκα μόνας περὶ προδοσίας ἂν αὐτὸν εἰςήγγελον οὗτοι καὶ εἰ ἑάλω, τὸν ἅπαντ᾽ ἂν ἀπολώλει χρόνον.*

13) *Τὸ πρῶτον ἀτύχημα εἰς ἁμάρτημα μεταλαβόντες φυγαδεύουσιν αὐτόν*, Marcellinus §. 23. cfr. ibid.: *ἀρχέκακον ἀρχὴν παραλαβών ἀπὸ γὰρ ταύτης φυγαδεύεται*, falsum Marcellinum §. 46: *ἐφυγαδεύθη ὑπ᾽ Ἀθηναίων διαβάλλοντος αὐτὸν τοῦ Κλέωνος.* Incertus scriptor de vita §. 3: *αἰτίαν ἔσχε προδοσίας ἐκ βραδύτητός τε καὶ ὀλιγωρίας.* Insulsum vero est, quod Ogienskius (Pericles et Plato p. 69.) dicit: „Thucydides argui potest clandestini cum Brasida pacti, secundum quod Amphipolitis auxilium retardatum sit.“ Cur enim proditor Eïonem reservaverit? Atque unde factum ut postea non steterit a Lacedaemoniorum partibus? Temere alii in voluntarium exsilium Thucydidem ivisse statuunt. Krügerus, Leben des Thukydides p. 60: „da er wahrscheinlich

nicht eigentlich verbannt worden war." Contrarium hoc est iis, quae diserte affirmant testimonia, quae protulimus, verbi causa Marcellini §. 23. *τῆς μὲν ἁμαρτάνει, Ἠϊόνα δὲ τὴν ἐπὶ Στρυμόνι λαμβάνει· ἀλλὰ καὶ οὕτω — φυγαδεύουσιν αὐτόν·* Rem certiorem reddunt Cicero de oratore II. 31.: „Hos libros tum scripsisse dicitur, quum a republica remotus atque, id quod optimo cuique Athenis accidere solitum est, in exsilium pulsus esset." Plinius histor. natur. VII. 31.: „Thucydidem imperatorem Athenienses in exsilium egere." Krügerus eo tantum argumento usus est, quod Thucydides dicat, se exsulem vixisse: „ohne zu bestimmen, ob dieselbe (Verbannung) eine freiwillige oder als Strafe über ihn verhängt gewesen sei." Leben des Thuk. p. 47. At eius ipsa verba *καὶ ξυνέβη μοι φεύγειν τὴν ἐμαυτοῦ ἔτη εἴκοσι μετὰ τὴν ἐς Ἀμφίπολιν στρατηγίαν·* V. 26. quum plerumque de exsulibus taceat, videntur quodam modo confirmare opinionem vulgarem deductam ex fontibus. Sed tamen Krügerus pergit: „wäre der Geschichtschreiber wirklich vom Volk verbannt worden, so müsste man annehmen, dass eine Milderung der gesetzlichen Strafe eingetreten sei." Quibus quid voluerit, non intellexi; nam Athenienses Thucydidem absentem vita privare non potuerant, nec si potuissent, voluissent. Id enim eo tempore non fuit ex more Atheniensium.

Cl. Henricus Dodwellus in annalibus Thucydidis et Xenophonteis Oxonii 1702. editis p. 24. haec habet: „Erat delictum Thucydidis leve, qui quamquam tarditate sua amisit Amphipolim, sic tamen satis opportune adfuerit servandae Eïoni. Atque ita sensisse Thucydidis cives e poenae levitate colligimus, quae tanta erat, ut grammaticis iunioribus pro Ostracismo haberetur. Bonorum iacturam fecit plane nullam."

Thucydidem ut exsulem bona et possessiones, quas in patria habuerit, omnes amisisse et eas redactas esse in publicum, nisi quas cura amicorum servaverit, viri docti putant. Goellerus p. 30. existimat Brasidam propinquam fodinis regionem totam in Spartanorum ditionem redegisse, atque ita servasse Thucydidem metallorum possessionem secureque potuisse ibidem commorari. Sed quum earum rerum auctores nobis desint, omnino iure quodam de iis disputari posse non arbitror. Fortasse retinuit fodinas (quoniam non in Attica sitae erant), nam exsul inopia rerum non est pressus, sed multas divitias in exquirendis rebus gestis consumpsisse magnaque itinera fecisse fertur. Ceterum si ea, quae scriptor de se dicit V. 26. *καὶ γενομένῳ παρ᾽ ἀμφοτέροις* latius interpretari nobis liceat, post exsilium constitutum rebus Atheniensium (et si non in Attica ipsa) tamen interdum adfuisse videatur.

Davidis Heilmanni coniectura (Kritische Gedanken von dem Charakter und der Schreibart des Thukydides Lemgo. 4. p. 17.) hoc loco afferenda est haecce: Da erhellet, dass Thukydides von Anfang des Krieges an die Nachrichten von beiden Theilen gesammelt und zwar von angesehenen Personen, die der Sachen kundig sein konnten, so hat dieses vielleicht den Verdacht der Athener auf ihn laden oder bestärken können, dass er mit dem Feinde in einem unerlaubten Verständnisse stehe, daher der Verlust von Amphipolis ihm gedachte Landesverweisung desto eher zuziehen können.

14) Athenienses post illud tempus suspiciosos fuisse in Thraces ex Aristophanis comoediis intelligi potest, quum ex illa eius fabula, quae Pax est inscripta (v. 287. 288.) tum ex Vespis, in quibus (v. 286—290.) iudices et parati ad iudicia exercenda et cupidi damnandorum reorum collegam his verbis admonentes inducuntur:

Ἀλλ' ὦγαθ' ἀνίστασο μηδ' οὕτως σεαυτὸν
Ἔσθιε, μηδ' ἀγανάκτει
Καὶ γὰρ ἀνὴρ παχὺς ἥκει
Τῶν προδόντων τἀπὶ Θρᾴκης
Ὃν ὅπως ἐγχυτριεῖς.

§. 8.

Viginti annos Thucydides exsul egit. Summum per hoc tempus studium ei fuit exquirendi omnia, quae ad res bellicas tum gestas pertinerent. Quapropter percontatus est et Athenienses et hostes eorum. Ipse narrat se in utraque parte adfuisse, maximeque (quippe in exsilio erat) apud Peloponnesios, V. 26.: *καὶ γενομένῳ παρ' ἀμφοτέροις τοῖς πράγμασι καὶ οὐχ ἧσσον τοῖς Πελοποννησίων διὰ τὴν φυγὴν καθ' ἡσυχίαν τι αὐτῶν μᾶλλον αἰσθέσθαι* [1]).

Iam ut regiones, in quibus bellum singulis annis gereretur, resque ipsas gestas melius perspiceret itinera fecit multa magnamque consumpsit pecuniam [2]). In Siciliam [3]) igitur (in qua terra ab anno 415. a. Ch. n. summa belli fuit) se contulisse atque in Italia [4]) quoque longum tempus videtur versatus esse. Etiam in Aegina [5]) insula, ut ex propinquo apparatus belli cerneret, commoratus esse fertur. Haud dubie in

Peloponneso quoque multum fuit. In Thracia denique diu vixit praesertim Scapteshylae 6), in qua regione eo tempore Atheniensium imperium parum auctoritatis habuisse videatur.

---

1) Citare igitur potuit I. 9.: *λέγουσι δὲ καὶ οἱ τὰ σαφέστατα Πελοποννησίων μνήνῃ παρὰ τῶν πρότερον δεδεγμένοι.*

2) Exsul res in bello gestas Thucydides melius potuit spectare atque interrogatis earum testibus, quaecunque voluerit, percipere quam si in statione ipse gessisset bellum aut Athenis vixisset inter Athenienses solos. Verum tamen temere Levesquius (Histoire de Thucydide traduite, Paris, l'an IVme de la république, V. I. p. X.) cogitans morem eorum, qui nostro aevo scribunt ephemerides publicas, dicit: Il paya dans les diverses républiques belligérantes des personnes chargées de lui fournir des notes et des mémoires.

Sed eodem tempore Thucydidem augendi divitias minus etiam liberales vias esse persequutum legimus apud Marcellinum §. 24.: *γενόμενος δ' ἐν Αἰγίνῃ μετὰ τὴν φυγὴν ὡς ἂν πλουτῶν ἐδάνεισε τὰ πλεῖστα τῶν χρημάτων*: narratio profecto satis mira quae a plerisque viris doctis impugnatur atque, etiam si eam verbis scriptoris ignoti de vita Thucydidis §. 7 et 8.: *φεύγων δὲ ἐν Αἰγίνῃ διέτριβε κᾀκεῖ λέγεται τὰς ἱστορίας αὐτὸν συντάξαϑαι τότε δὲ τὴν φιλαργυρίαν αὐτοῦ μάλιστα φανερὰν γενέσϑαι, ἅπαντας γὰρ Αἰγινήτας κατατοκίζων ἀναστάτους ἐποίησε* confirmari arbitreris, eorum de ea iudicio non reiecto nobis quoque improbanda videtur et quidem hanc potissimum ob caussam quod Thucydides, quamvis non prodigum hominem sed eum tantum, qui rebus familiaribus bene consuleret, civem bonum summo iure censuerit (vide L. VI. 9. 12. II. 40.), innocentiam vitae iustis laudibus effert atque

in annalibus eam rerum humanarum despicientiam ubique probat, quae virum sapientem maxime decet. Sed si quis contendat, moribus nonnumquam repugnare verba, eum monitum volumus, antiquos, vivendi ratione plane diversa a nostra simpliciores omnino fuisse, adeo ut tacerent quae non revera sentirent probarentque vita. Atque si diligenter reputas scriptorem conviviis eos excepisse, qui rebus bellicis ipsi interfuissent easque narrarent, multumque iis esse largitum, ipse intelliges haud congruere eundem esse pecuniam foeneratum. Iam vero quum Marcellinus, quippe qui §. 20. asserat *τοῦτον δὲ τὸν πλοῦτον λαμβάνων οὐκ εἰς τρυφὴν ἀνήλισκεν, ἀλλὰ — προελόμενος συγγράψαι αὐτὸν (τὸν πόλεμον) παρεῖχε πολλὰ τοῖς Ἀθηναίων στρατιώταις καὶ τοῖς Λακεδαιμονίων καὶ πολλοῖς ἄλλοις, ἵνα ἀπαγγέλλοιεν αὐτῷ βουλομένῳ συγγράφειν τὰ γενόμενα κατὰ καιρὸν καὶ λεγόμενα ἐν αὐτῷ τῷ πολέμῳ* sibi ipsi repugnare videtur, tum unde haec mala fama, qua de agimus, orta sit, scriptoris de vita ignoti verba suspicionem quandam movent satis probabilem. Egit enim ille a verbis *ἦν δὲ τῶν πάνυ κατὰ γένος Ἀθήνησι δοξαζομένων ὁ Θουκυδίδης* de Melesiae filio Thucydide, cfr. n. l. §. 1. p. 9. idque eo evidentius apparet, quominus in nostrum scriptorem, quae protulit, primis quadrant, veluti inclaruisse oratorem ita ut a Pericle accusante defenderit Pyrilampem quendam, civitati eum praefuisse, ut qui archontis munere functus sit, eiectum denique esse testarum suffragiis. Pergit deinde auctor hunc Thucydidem ostracismo patria expulsum (*φευγὼν δὲ κ. τ. λ.*) in Aegina commoratum insulae incolas exhausisse. Omnem profecto dubitationem tollit hac accusatione gravi rerum publicarum gubernatorem notari, quod hic teste eodem auctore erat avaritiae suspectus; dicit enim *μεγαλόφρων δὲ ἐν τοῖς πράγμασι γενόμενος, ἅτε φιλοχρηματῶν, οὐκ εἴα* (pro quo *εἴατο* vel *εἰάθη* scribi vult Albertus Dryanderus in selectis capitibus commentationis de Antiphontis Rhamnusii vita et scriptis, Halis 1838. p. 45.) *τὸν πλείονα χρόνον*

προστατεῖν τοῦ δήμου. Id certe nemo credat et Thucydidem Melesiae filium et Thucydidem Olori turpis quaestus pariter acidos fuisse; praesertim quum haec de politico narratio, si modo semel in scriptorem, quoniam is quoque in Aegina versatus et nominis splendore notissimus erat, translata erat, libenter excipiebatur credebaturque quum invidia multitudinis saepissime laudes egregiorum virorum extenuari atque (proh dolor!) infamiam eorum nominibus moveri didicerimus. Nil autem facilius, quam ut quis nummos nimis amasse existimetur. Exemplo est clarissimus Leibnitzius, qui quamquam rem domesticam totam famulis curandam permisit, sordidae tamen avaritiae est accusatus.

3) Siciliam visitavit: quod quum verisimile sit, quia exsulem eum in Italia vixisse tradunt veteres, tum ex accuratissima Siciliae insulae cognitione perspicuaque urbis Syracusarum descriptione apparet, quam tam dilucide explicare nullo modo potuit, si urbem locaqne bello memorabilia non vidisset ipse. Neque hanc urbem solam, sed ceteras quoque bene cognovit (verbi causa, nonne quae VI. 4. de Gela dixit: *τὸ δὲ χώριον, οὗ νῦν ἡ πόλις ἐστὶ καὶ ὃ πρῶτον ἐτειχίσθη Λίνδιοι καλεῖται* eum Gelae accepisse arbitreris?). Quae de antiquissima Siciliae conditione atque de coloniis conditis initio libri sexti tradidit (verbi causa quae de Sicanis c. 2. dixit), quomodo potuerit indagare, nisi Siciliam ipsam adiit, non intelligo. Accedit quod res, quae in Sicilia gestae sunt, singulas quasque diligenter memorans accuratissime descripsit (VI. 32. — VIII.), eas quae in Graecia ipsa eodem tempore agebantur, brevissime narravit, velut Thespiensis populi conatus adversus optimates factos (VI. 95.) uno verbo tetigil (VII. 19.), maximi momenti rem, qua Atheniensium fortuna Spartanis Deceleam capientibus in gravissimum discrimen vocata est.

4) Italiam adiit teste Timaeo. Quod improbatur Marcellino §. 25.: *μὴ γὰρ δὴ πειθώμεθα Τιμαίῳ λέγοντι, ὡς*

φυγὼν ᾤκησεν ἐν Ἰταλίᾳ: sed quidni sequamur Timaeum? Scriptor ignotus §. 7. Thucydidem Xenocrito duce (anno ut videtur Olymp. LXXXIV. 1. s. 444. a. Ch. n.) Sybarim migravisse asserit, confundens haud dubie Thucydidem cum Herodoto, scriptorem cum scriptore. Vide Popponis Prolegomena V. I. p. 27. Heysii librum de Herodoti vita et itineribus Berolini 1826. p. 69. Goelleri editionem Thucydidis alteram V. I. p. 7. Contra Krügerus, Leben des Thukydides p. 50 sq. haecce disputat: „Wohl wäre es möglich, dass auch Thukydides' Vater mit seiner Familie, vielleicht vom Herodotos dazu angeregt, sich den Auswanderern angeschlossen. Ja man könnte sogar vermuthen, dass Oloros dort gestorben sei. (Quasi non liceat omnia, quae rationis legibus non prorsus repugnant, cogitari!) Denn dürfte man sagen, da, wo Marcellin beweisen will, dass der Vater des Geschichtsschreibers Oloros geheissen, führt er nur die Grabschrift des Sohnes an, warum nicht die des Vaters, wenn dieser in der Familiengruft zu Athen bestattet war? Also lag er wohl zu Thurii begraben. Dieser Grund ist indess leicht zu beseitigen. Die Grabschrift des Sohnes hatte dieselbe Beweiskraft, wie die des Vaters, und der Biograph führt jene an, weil sie zugleich eine Angabe über den Thukydides enthält. Gegen die Annahme der Auswanderung des Oloros lasst sich erinnern, dass derselbe sich wahrscheinlich nicht leicht werde entschlossen haben, von seinen in Thrake gelegenen Bergwerken sich noch weiter zu entfernen.“ Haec non digna esse, quae refellantur, quisque videt, quod vero ad sepulchri inscriptionem attinet, Marcellinum ea tantum verba, quae Thucydidis sepulchro inscripta erant, ob eam praecipue causam protulisse duco, quod ad probandum id quod voluit sufficiebant. Olorum hominem ignotum oblivio condebat, neque de uno quoque Oloro, sed de Thucydidis patre quaestio fuit. In sepulchro autem Olori nostri inscriptum fuisse hunc genuisse Thucydidem, nemo existimaverit.

Timaeus apud Marcellinum §. 33. Thucydidem mortuum esse in Italia tradit. Poppo in Prolegomenis I. p. 27. huic narrationi ut ex vita Herodoti huc translatae fidem prorsus detrahit, Goellerus V. I. p. 7. id de morte Thucydidis in Italia non tradidisse Timaeum, sed ex scriptis Timaei, qui tale quid scripsisse, minime putandus sit, grammaticos false retulisse, arbitratur, reputata eorum socordia, quum Herodotus etiam ab aliis cum Thucydide confundatur, velut rursus a Suida v. ὁμαιχμία, ubi, quae verba adscripsit sub nomine Herodoti, ea Thucydidis I. 18. sunt. Vide Goellerum p. 26. Uterque vir doctus et Poppo et Goellerus coniectavit; Goellero obstare videntur verba Marcellini: τὸ δ' ἐν Ἰταλίᾳ Τίμαιον αὐτὸν καὶ ἄλλους λέγειν κεῖσθαι. Sepulchrum igitur in Sicilia fuit Thucydidis. Itaque si Thucydides in Italia commoratus est (quod et verisimile est et ab eodem Goellero I. c. p. 18. conceditur) facile potuit error nasci, Thucydidem fuisse ex colonis atque mortuum esse in Italia.

5) Marcellinus §. 24.: γενόμενος δ' ἐν Αἰγίνῃ μετὰ τὴν φυγήν. Ignotus scriptor §. 7.: φεύγων δὲ ἐν Αἰγίνῃ διέτριβε, κἀκεῖ λέγεται τὰς ἱστορίας αὐτὸν συντάξασθαι. Quam rem negat Krügerus, Leben des Thucydides p. 48.: „Aegina nämlich war damals von Athenischen Kleruchen besetzt und also gewiss ein für ihn verschlossener Aufenthaltsort.“ Qua ille ratione rem difficilem testimonia quidem esse demonstravit. Sed quum tam pauca exstent de vetusto illo tempore testimonia, temerarium esset, consectari id, quod testimonia, quae habemus, reddat dubia. Iam vero quod ad hanc terram attinet, commodissimam certe ad observandos belli eventus, non negligemus Aeginetarum animos erga Athenienses infestos, insulamque sub finem belli in ditione Spartanorum fuisse. Profecto non est, cur de re dubitemus; nam quamquam Krügerus pergit: wenn diese Nachricht (versatum esse in Aegina insula Thucydidem nostrum) nicht rein erdichtet ist, so könnte man vermu-

then, dass sie auf den Sohn des Melesias zu beziehen sei; tamen verba *κἀκεῖ λέγεται τὰς ἱστορίας αὐτὸν συντάξασθαι* satis probant ignotum scriptorem secutum esse alios auctores, qui quod attinet ad sedem Thucydidis in Aegina collocatam, non de Melesiae filio cogitaverint. Haud dubie ipse, sicut iam demonstravimus quum uterque Thucydides exsules fuerint, res eorum miscuit. Thucydidem in Aegina commoratum esse, quodammodo confirmatur Scholiis ad Thuc. V. 26.: *ὅτι ὁ συγγραφεὺς εἴκοσι ἔτη ἔφυγε τὴν πατρίδα καὶ περὶ Πελοπόννησον διέτριβε.* Nimis tamen coniecturae indulgere videntur ii, qui (velut Goellerus ed. Thuc. p. 17. et quem ille secutus est Krügerus, Leben des Thukydides p. 50.) Thucydidem Lacedaemone quoque versatum esse propter verba Thuc. I. 9. 20. volunt. Namque Thucydides melius edoctus, quam plerique Athenienses, vulgares opiniones corrigere potuit, etiamsi non fuerat Spartae, urbe peregrinis invisa. Immo, si ibi commoratus esset, plura eum, quam protulit, narraturum fuisse existimo de civitate Spartanorum.

Si argumento essent verba Thuc. IV. 68. — *ἐςέδραμον, οὗ νῦν τὸ τροπαῖόν ἐστι·* scriptor etiam Megarae versatus esset. At nihil confirmant. — Simili modo de monumento Amphipoli propter Brasidae de Cleone reportatam victoriam exstructo loquitur V. 10.

6) Plutarchus *περὶ φυγῆς* c. 14.: *Καὶ γὰρ τοῖς παλαιοῖς (ὡς ἔοικεν) αἱ Μοῦσαι τὰ κάλλιστα τῶν συνταγμάτων καὶ δοκιμώτατα φυγὴν λαβοῦσαι συνεργὸν ἐπετέλεσαν. Θουκυδίδης Ἀθηναῖος συνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων περὶ τὴν Σκαπτὴν ὕλην.* Marcellinus §. 25.: *ἀλλὰ κἀκεῖθεν* (ab Aegina insula) *μετῆλθε καὶ διατρίβων ἐν Σκαπτῇ ὕλῃ ὑπὸ πλατάνῳ ἔγραφε.* Iam quisque videt Plutarchum eum ad Socratis exemplum sub platano scribentem fecisse. §. 46. (in secunda parte narrationis de vita Thucydidis, quam Marcellino abiudicavimus, cuius auctor de itinere in Aeginam

facto tacet.) καὶ ἀπελθὼν (post exsilium decretum) ὥς φασιν ἐν τῇ Θρᾴκῃ τὸ κάλλος ἐκεῖ τῆς συγγραφῆς συνέθηκεν.

His fidem inesse negavit Krügerus (Leben des Thuk. p. 48 sq.), quia si verum dicerent, Thucydides remotior a bello aetatem egisset. At oblitus est vir doctus res multas easque gravissimas in Thracia atque in Macedonia esse actas. Consentiunt ille et Goellerus (ed. Thuc. I. p. 29. 30.) Thucydidem, quum Thasus insula et et Scapteshyla (quam eandem fortunam atque Thasum habuisse Goellerus opinatur) in Atheniensium potestate fuerint secure in illa regione vivere non potuisse, itaque exsulem aut omnino non ibi egisse, aut intra biennium tantum, dum Thasus insula desciscens ab Atheniensibus, regeretur a duce Spartanorum Olymp. XCII. 1. — XCII. 3. 412—410. a. Ch. n. Attamen ut fontium auctoritatem augeamus, reputare nos oportet, in Thaso insula duas exstitisse partes, quarum altera viribus validior infesta Atheniensibus fuit (Thuc. VIII. 64. Xenoph. Hellen. I. 4. §. 9.), hisque motibus civilibus Thucydidem virum permagnae (sicuti dixi) apud incolas gratiae, quum eum Athenienses ob sinistram fortunam expulsum ex patria vix amplius vexaverint, facile obtinuisse, ut aut Scapteshylae aut in propinquo commorari posset. Προδοσία enim vario modo puniebatur. Eos enim, qui φρούριον ἢ στρατιὰν ἢ ναῦς hostibus tradiderant aut praeparaverant κατάλυσιν τοῦ δήμου, quae videlicet vera significatio criminis maiestatis (ex nostra ratione Hochverrath), Athenienses solebant θανάτῳ ζημιῶσαι καὶ τὰ χρήματα δημοσιεῦσαι (cfr. Xenophontis Hellenicorum L. I. 7. §. 10.); sed verbum latius patebat, ita ut omnes quorum desidia vel negligentia (sive δειλίᾳ sive ἀστρατείᾳ vel quacunque alia causa) rebus publicis detrimenti aliquid attulerant, velut Thucydides existimabatur, προδοσίας quidem accusarent sed punirent levius, sive mulcta aliqua irrogata sive dicta relegatione. Itaque noster quamquam in exsilium pulsus et terram Atticam fugere cooctus bona

non amisisse videtur. Ea qua Athenienses excellebant humanitate bona mulieris damnati non publicabantur. Quae igitur Thucydides dotem acceperit, ea certe retinebat.

Itaque Thucydides fortasse in vicinia Scaptesbylae vitam egit, quod videtur Plutarchus verbis *περὶ τὴν Σκάπτην ὕλην* tradere. Ceterum non negligenda duco verba Thucydidis VIII. 64.: *καὶ ἀπελθόντος αὐτοῦ* (Diotrephis, qui Thasiorum rempublicam mutaverat) *οἱ Θάσιοι δευτέρῳ μηνὶ μάλιστα τὴν πόλιν ἐτείχιζον, ὡς τῆς μὲν μετ' Ἀθηναίων ἀριστοκρατίας οὐδὲν ἔτι προςδεόμενοι, τὴν δὲ ἀπὸ Λακεδαιμονίων ἐλευθερίαν ὅσαι ἡμέραι προςδεχόμενοι καὶ γὰρ καὶ φυγὴ αὐτῶν ἔξω ἦν ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων παρὰ τοῖς Πελοποννησίοις, καὶ αὕτη μετὰ τῶν ἐν τῇ πόλει ἐπιτηδείων κατὰ κράτος ἔπρασσε ναῦς τε κομίσαι καὶ τὴν Θάσον ἀποστῆναι.*

THESES.

Hildebrandum, qui papa electus nomen Gregorii VII. accepit, infimo loco ortum esse, demonstrari non potest.

Arnulphi Mediolanensis chronicon ex duabus partibus constat, quarum prior libros tres priores continens scripta est ante annum 1075 et quidem antequam Herlembaldus devictus est; posterior postquam Rudolphus rex est electus et antequam Henricus victor in Italia exstitit (ante a. 1080.).

Fridericus Magnus Borussorum rex caussam, qua ipse in historia sui temporis c. 3. (oeuvres historiques de Frédéric le Grand Leipsic et Paris 1830. II. p. 131.) se commotum esse dixit, ut Vratislaviam urbem (d. 10. m. Augusti a. 1741.) occuparet, dissimulavit nec urbs eum ante hunc diem suum regem agnovit. —

Carminis popularis: Und welche Frau ein'n Götzen hat, (servati in l. MS. olim (1607.) Caspari Hiellebrandti Vratislaviensis, nunc bibliothecae Rhedigeranae, publicati primum a Hoffmanno Fallerslebensi in: Monatschrift a. 1829 p. 548 s. et deinde a W. Wackernagelio stropha ultima ex duabus strophis est composita, ita quidem, ut deperditae cuiusdam strophae totius carminis tertiae versus duo priores mancae ultimae additi sint.